




1
7
96










PETRI FRANCII
EPISTOLA TERTIA
Ad
C. VALERIUM ACCINCTUM,
Vero nomine
JACOBUM PERIZONIUM,
Professorem Leidensem:

Qua ad Ejus Epiſtolam reſpondetur.



AMSTELODAMI
Typis THEODORI BOUTEMANNI.
cIↄ Iↄ cxcvi.





Candido & aequo Lectori
S. P. D.
PETRUS FRANCIUS.

PRioribus duabus Epistolis ostendisse abunde me puto, uter nostrum sit *Scurra*, uter sit *Barbarus*. En tibi nunc, Lector, Epistolam, quam promiseram, Tertiam; qua *Valerii* primam, quam is ad me scripsit, sum examinaturus, ut dixi, epistolam. Id autem faciam ea qua potero brevitate, quoniam satis prolixae fuerunt priores duae. Ac primum quidem videamus ipsam Epistolae hujus Epigraphen. Ea autem ita se habet: *C. Valerii Accincti Epistola* &c. Cur falso nomine hic usus est homo, suppresso ac dissimulato vero? an quod cum tam ignobili sibi homine res esset? ita credo. an quod scriptis istis Eristicis suum contaminari noluit nomen? ita praefert. an quod latitare se posse speraverit, si ficto nomine uteretur? ita quidem existimo. unde & in ipsa Epistola dicit pag. 7.

Et certamen erit Corydon cum Nemine magnum:
Et latitaſſet ſine dubio etiam, niſi è ſuis eum latebris protraxiſſem, oſtenſo illo, in quo una fuimus, loco, ut ipſe confitetur pag. 4. quod idem deinde negare non poterat. Sed cur *Cajus* appellari *Valerius* maluit, cum *Marci*, *Publii*, *Lucii*, appellati ſint vulgo *Valerii*, rariſſime vero *Caji?* an quod *Cajos* & *Cajas*, ſtultos, ſtupidos, bardos, & nullius cerebri homines nominaverint Veteres? ita videtur. Mirus enim eſt amator Antiquitatis Valerius, homo Antiquarius, qui cum Antiquis illis deſipere mallet, quam cum Recentioribus ſapere. At cur *Valerius* dictus eſt? quod tam *Validus* ſit, & tantum *valeat*? exclamare itaque cum Plauto libet:

— *Quantus & quam validus eſt!*
— *Ut magnus eſt, & multum valet!*

an vero per ἀντίφρασιν, quod parum *validus* ſit; & in his ſtudiis, Oratoriis inquam & Poëticis, nihil omnino praeſtare *valeat?* ita mecum judicant omnes qui haec intelligunt. Verum, ſi a *Valendo Valerius* dici voluit, cur non *Valens*, *Valentius*, *Valentinus*, aut *Valentinianus*, appellatus eſt potius? *Valentiora* enim iſta ſunt nomina, & *productiora*: tum neſcio quid auguſtius ſonant, & dignitatem quandam exhibent Imperatoriam, quam non adſpernari videtur Valerius, qui, εἰ μὴ τυραννεῖ, ἀδικεῖσθαι δοκεῖ. Sed cur *C. Valerius Accinctus* voluit nominari? videtur aliquod latitare myſterium. nam ſi è *Valeriorum* gente aut eſt, aut haberi cupit, cur non *M. Valerius Corvinus* appellatus eſt potius? hic enim caput gentis. Et ut *corvus* ille, unde nomen *Corvini*, ipſum adjuvit pugnantem, & Galli hominis oculos involavit, ita

hic

hic cum Caesare, *hostium* suorum *faciem ferit*, cum hoc ipso corvo, oculos pungit, &, si possit, eruit. Potuisset & *M. Valerius Corvinus Messalla* nominari, qui insignis suo tempore Orator fuit, ut nostro *Valerius*. Non male item convenisset *L. Valerii Flacci* nomen, qui turpissimae avaritiae homo fuit. Vel *L. Valerii Catonis*, qui, ut hic noster *Valerius*, clarus fuit Grammaticus: vel *M. Valerii Probi*, cui simillimus plane *Valerius*. Nam praeterquam quod illustris uterque Grammaticus sit, ita miri candoris hic noster, & singularis fidei est, ac probitatis. Potuisset & *P. Valerius Leo* appellari noster *Valerius*; ut enim meus hic accusator, ita iste Milonis fuit. & multa habet praeterea cum leone communia; praesertim, cum illo Cumano: nam ut ille se voce, ita hic scripto prodidit. Quin & *Valerius Martialis*, ne Poëtam se non credi existimet, poterat appellari: multa enim, ut ille, *turpia* habet, ac plane *scurrilia*. Sed convenientius omnino omnium *Valerii Maximi* nomen fuisset Heroi nostro, illius qui *Memorabilia* scripsit, nosti enim hominem, credo, *Valeri*: nam & tu *Memorabilia* scribis, *interiora*, *recondita*, quae ille fortasse non intellexit; neque illo minus es *Validus* ac *Valerius*; non minus item *Maximus*, *clarissimus*, *celeberrimus*, *memorandus*, ac *memorabilis*. Et sane in exigui usuram temporis nomen tibi suum non denegasset, atque ultro etiam commodasset, qui tam multis ac magnis tibi obstrictus nominibus est: in quo per tot annos desudas: cui tu famam dabis & vitam: edes enim eum, ut ante complures jam annos promisisti, & fiet fortasse,

— *Sed olim,*
Aequarint Pylios cum tua fata dies.

 Sed

Sed cur *Accinctus* dici voluit *Cajus Valerius?* an quod Junonis sit filius, superbae illius & furentis, quae

— Scaeas saevissima portas
Prima tenet, sociumque furens à navibus agmen
Ferro accincta vocat?

An, quod Bellonae progenies sit, vel Tisiphones potius? nam & illa *accincta* est, & quidem *flagello*, ut noster.

Continuo sontes ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans.

An quod Cometa sit Heros noster, & ex eorum quidem genere Cometarum, quos Ξιφίας vocant Philosophi: nam & *nunquam* cuiquam *impune spectatus* est hic *Cometes*, & gladium semper ad latus gerit. Quin jam se parat ad praelium,

— clypeumque, auroque trilicem
Loricam induitur, fidoque accingitur ense.

Quin & Caesarem eum esse alterum putes, *magnis itineribus, & gradibus grandibus* venientem, ac vociferantem: *veniam, veniam, & hic mecum.*

Epistolae huic praefixum est *scurrile* plane carmen; *In scurram Barbarum, qui se P. Francium esse dicit.* De *Scurra* & *Barbaro* vidimus. Addit, *qui se P. Francium dicit.* nec *dixi* me *scurram* esse, nec ullo modo fui, quem iste esse me dicit. Ego, ut in superioribus satis fuse ostendi, auctorem carminum istorum *scurrilium scurram* dixi. Dicit autem *Valerius*, se versus istos non fecisse; se tamen a me notatum esse: quae plane inter se pugnant. Si fecit, dixi: si non fecit, non dixi, eum tamen esse dixi, qui fecit. Ille aperte me nominat: ego neminem nominavi. *Quare nemo mihi irasci*

poterit, *nisi qui ante de se voluerit confiteri*, ut Ciceronis, mei verbis utar, vel tui potius, *Valeri*: nam ego

Bonum relinquo Tullium Oratoribus,
Quos Frigidos Bellus vocat.

Dicit in isto praeterea Carmine, me, cum *Blaesum* ipsum vocarem, & *Battum*, *scurram* fuisse. An haec *scurrilia* verba sunt? an hoc *fel Tartareum*? Vide, iniquissimum judicem, animo suo parum temperantem, & omnes irarum habenas relaxantem. Nam quae non habet convitia in hoc uno versu? *Scurram* me vocat *rabidum*, *improbum*, *olidum* (vides *olidam suem*, quo in suo ille Iämbo usus vocabulo est?) ac *dementem*. Dicit carmina sua *mea mihi vitia monstrasse*. an id fecerit, secunda mea demonstrasse me puto epistola: quomodo id fecerit, ostendi Prima: honesto viro indignum nempe, & *scurrilem* plane in modum. Ridet porro quod dixi, *hoc armorum mihi genus displicere*, quasi id facto ipso non comprobassem, qui cum nullo unquam homine, nisi cum hoc ipso, publicas exercui inimicitias. Addit, *ipsi auctori suam brevi culpam displicituram*. Vereor, ne in contrarium res cadat, & suae hic culpae seriam, sed seram, brevi poenitentiam agat: quem nihil in hoc studiorum genere intelligere posse ostendi, & hac ipsa porro Epistola sum ostensurus. Ipsum vero hoc epigramma adeo putidum est & puerile, neque quicquam in se continens boni, nisi quod ex meo desumptum; adeo *scurrilibus* convitiis & maledictis refertum; ut nihil supra. Profecto, *aut insanit hic homo, aut versus facit*.

Videamus nunc ipsam epistolam, qua ille me *in ordinem* & *Bonae mentis sacraria redactum cupit*. *Bonam mentem* non novit: ejus *sacraria* ubi sint, nescit; neque in ea an-

unquam penetravit *Valerius*: nam si quicquam in eo residuum esset *bonae mentis*, ac rationis, nec versus conscriberet, nec Orationes, & intra cancellos suos Grammaticos se contineret. Magno autem, sed consueto sibi, cum furore suam orditur Epistolam, de mea *intemperie*, & quidem *infrunita*; de *carmine* meo, *pleno ruris & inficetiarums* nescio quid deblaterando. Nonne apparet, *bonam mentem* habere *Valerium*, & in Poetarum antro obdormivisse, ἄνδου Κασαλίας, καὶ δάφνης, καὶ τρίποδος Δελφικοῦ qui suum carmen *facetum* & *urbanum*; meum vero *rusticum*, & *inficetum* vocat? nonne liquet, quam *pacato* ille sit animo, ac *temperato*? *Furiosum* deinde me, & *impudentem*, atque *impurati oris* hominem vocat. Vides *sanae mentis* hominem, & *oris probi*, τοσοῦτον ἐμῶντα τὸν λόγων βόρβορον? παμπόνηρον ἄνθρωπον, ἁπάσῃ κακίᾳ σύντροφον? Cujus

Ἀφρῷ χείλεα πάντα δεδουμένα·

Cujus

Ἐν βλεφάροις ὁ Φρυγῶν κεῖται ὅλος πόλεμος.

Juramento deinde sanctissimo dicta sua confirmat: *per Deum Immortalem*, inquit, *quid tibi juris arrogas, mi homo?* ille qui modo *per Herculem* juraverat, nunc per *Deum* jurat *immortalem*. Quem esse credas hunc hominem Gentilem, an Christianum? Sed haec non faciunt ad *Edictum Praetoris*, ut nec ad *Praetorium*. Et, *minima non curat Praetor*. Latine loquitur *Cajus Valerius*. qui si Latine loqui voluisset, *per Deos immortales* dicere debuit, id enim Latinum est magis, & Ciceronianum. Et miror barbariae notam non timuisse hominem nostrum. à puris putis Ciceronianis non probaretur ista locutio, & rejiceret illam Longolius, credo, ac Petrus Bembus.

Ad-

Addit pag. 2. me *priorem* ipsum aggressum. Satis haec refutata in prioribus. Adjungit *meam dicendi facultatem veris coloribus* ab auctore istorum carminum *esse depictam*. Vides, Lector, verum esse, quod dixeram, carmen illud Iämbicum, ut & caetera illa, interpretamentum esse Orationis, aut istius certe partis, quam me respicere demonstravi? ait *generatim me ejus Orationem carpsisse, ut solent, qui speciatim, quod carpant, nihil habent*. Multa possem adducere, quae & rem spectant, & verba, quae in tua illa Oratione comparent, ut & in altera illa tua inaugurali, si vellem, *Valeri*, & bonas horas tam male liberet impendere. Et fiet fortasse aliquando, ne inania haec verba existimes. Nunc dicere sufficit, nihil in ea, vel iis, esse, quod aliquem possit afficere, aut ullo etiam pacto Oratorium appellari queat. Sed paullo post dicam aliquid amplius. Affirmat ibidem, *aliquot demum mensibus post in suum conspectum venisse* meum hoc Epigramma; quasi id mea culpa accidisset. Ego misi, neque curavi praeterea. *Caecis* interea *latebris me latitasse*, ait, *laedere festinantem, mihi metuentem*. Mire sibi placet *Valerius*, & omnes sibi invidere, ab omnibns se timeri putat, quod pluribus passim repetit locis. Vis verum audire, Valeri? audi ergo. Nihil habes, quod meum esse mallem; quare nihil tibi invideo; & bona te tua amare sine rivali jubeo. Observata enim tua Grammatica tanti non facio; & meras esse nugas existimo: si ultra ista non assurgamus. Nihil praeterea in te video, quod ullum mihi timorem incutere possit. An Oratorem te timerem? an Poëtam? In utroque genere infans es. alias laudes non affecto.

Dicit pag. 3. *me ab omnibus irrideri, & exerto quasi*

ungue ostendi. Ita vellet ſane *Valerius*; ipſe id nondum expertus ſum, & fortaſſe *turdus ſibi malum cacaverit.* Addit, *me certamini, quod nunquam ſum initurus, proludere.* Prima & Secunda Epiſtola mea docent, hic falſum fuiſſe vatem *Valerium.* Dicit *ſe non ignorare, qui vir ſiem.* Et in hoc falſus fuit *Valerius*; credidit enim, nunquam me illud ſubiturum certamen fuiſſe. Hiſtoriam de Peralto hîc more ſuo, hoc eſt fraudulenter, & intricate, narrat *cajus Valerius*, & tanquam ſi rem indigniſſimam, ac magnum aliquod facinus commiſiſſem, ſuis lectoribus exhibet. Illa autem ita ſe habet. Cum Orationem meam *de Perfecto & Conſummato Oratore* habuiſſem, eamque ampliſſimis hujus civitatis Conſulibus inſcripſiſſem, dixi in illa mea dedicatione, ut Eloquentiae ſtudioſos monerem, & ad Ciceronianam eos lectitionem hortarer, eſſe quoddam hominum genus in Gallia, qui Pariſienſis Curiae Advocatos (eo enim nunc utar vocabulo) diſertiores eſſe M. Tullio Cicerone, affirmare non dubitarent. Quod cum per ſe ineptiſſimum ſit, homines iſtos *ineptos* vocavi, id eſt, ipſo Cicerone interprete, *non aptos* ad judicandum. Quis autem homines iſtos recte judicare exiſtimet, qui ita judicant? Dixi itaque, non alicujus laedendi ergo, ut dicit *Valerius*; ſed pro bona cauſſa, & in commodum Studioſorum, qui facile ſibi imponi patiuntur, & libros iſtos Gallicos avide legunt, ut ab iſtiusmodi libris, tanquam à ſcopulis, caverent ſibi. Eam rem in peſſimam partem accepit Peraltus; & in dialogis ſuis Gallicis ſatis inſolenter, ut in Dacerium, ita in me invectus eſt. Epiſtolam iſtam mihi monſtrat Baſnagius, ut me ureret ſcilicet, quem rem iſtam non facile concoquere poſſe credebat; rogabatque,

an

an in suas id Epheridas, referri, & homini isti aliquid vicissim respondere vellem. Ego, posse eum facere, quod liberet, respondi: caeterum de responsione ipsum securum esse posse: nullum enim me verbum repositurum. Postea libellum istum per nescio quem ad me misit. Vix legi, vix etiam legere potui, & legit pro nobis Gallaeus, qui Gallorum scripturae magis assueverat. Suaserunt amici, ut paucis scriberem ad Basnagium. Negavi primo id me facturum, postea tamen epistolam brevem & scripsi, & misi, de quo frustra dubitat *Cajus*. Ea id continebat, quod praesens praesenti significaveram: ipsum facere posse, quod vellet. En caussam, en crimen, cur me exagitet, & tam diris verbis proscindat, *Valerius*. Quid scriberem contra hominem, qui hodiernos Poetas Gallos, praestantiores Virgilio: causarum patronos ipso Cicerone disertiores esse contenderet? quid *contra negantem principia* disputarem? quod faciendum negant Philosophi. Rectius sane, quam aut ego, aut quisquam, aut ipse *Valerius* etiam, qui contra eum se scripturum promisit, Ægidius id fecit Menagius, aut quisquis est auctor elegantissimi illius carminis Catulliani, in hoc acumen desinentis:

O saeclum insipiens & inficetum!

Saeculum Ludovici, appellabatur libellus. *insipidum saeculum* ipse nominat Gallus, id est, & librum istum, & omnes, qui in eadem cum illo, & illius auctore, sententia homines. Rogo, an in hoc sim negotio vituperandus? Rogo, an non laudandus, & ab omnibus pacis & quietis amantibus aestimandus, quod homini isti, tam stolidam insanienti insaniam, & eam foventi sententiam, quam ipsi saniores deinde refutarunt Galli, Boillavius,

Dacerius, alii, nullo omnino respondere verbo voluerim? Taxat tamen isto me nomine *Cajus Valerius*, quasi grande aliquod crimen commisissem. Vides, Lector, ingenium hominis, & malam mentem. Adjungit ibidem *Valerius*, eundem istum Peraltum iu suis Parallelis Tom. 2. *Scriptum contra me libellum palam edidisse*. Ego vero id ignoravi, & gratias *Valerio* habeo, qui id me docet. Tam curiosus fui rerum mearum, vel istarum potius, ut id nesciverim, certe non inspexerim, hactenus. *Atqui tum erat tempus dicendi, adsum* &c. inquit *Valerius*. Certe ita dixissem, si fuissem *Valerius*: nunc vero nil dixi, quia sum *Francius*.

Ait porro pag. 4 *Valerius*, post illam Peralti historiam, *me non amare, nisi solos ingenii foetus*. Primum, nunquam id dixi, nunquam scripsi, aut ullam istius rei dedi significationem. Ipse quidem nullos hactenus faetus edidi (quanquam & hoc neget *Valerius*) nisi ingenii. Sed an ideo nihil amo, nisi hoc unum? nihil unquam facturus sum, nisi hoc ipsum? Amo ego quaecunque ullum aut eruditionis aut ingenii specimen habent. Tanti ego facio aliorum opera, quaecunque sint ista, quanti quisquam mortalium. Tam praeclare de iis loquor, & tam aperto ore, sine circuitione, meam de illis sententiam fero; tam benigne denique judico de superioribus, paribus, inferioribus, ut nec tu, nec quisquam alius, istam mihi laudem sit detracturus. De nemine vero magis modice sentio, quam de me ipso, quem tu semper gloriari affirmas. Nunquam glorior, nisi cum id mihi praeripere student, & tu & similes tui, quod ego ad me pertinere existimo. Omnia vero me posse, nunquam credidi; nec enim *Valerius* sum; & angustis me limitibus circumscribò.

bo. Ad Eloquentiae ſtudium non ineptum me omnino exiſtimo: intra iſtos me fines limiteſque contineo; & nunc ligata, nunc ſoluta oratione aliquid compono; aut ad populum verba facio. Qualia autem ſint iſta, aliorum eſto judicium. Nemo certe mortalium, niſi tu, *Valeri*, unquam dixit, quod tu publice ſcribere auſus es, & quod mox ſubjungere non erubeſcis, *me nihil aliud publico praeſtare, niſi ut mediocre carmen, & miſeram ſubinde Orationem componam.* Niſi omnem pudorem ejuraſſes, omnem verecundiam exuiſſes, tale de me judicium proferre auſus fuiſſes? Quamvis nunquam magnam de te ac ſtudiis tuis opinionem conceperim, nunquam tamen inducere in animum potui, te tam ſine ulla mente, ſine ulla etiam fronte, hominem eſſe, ut iſtiuſmodi de me ſententiam ferres. Tu quenquam iſta hominem crediturum putas? aut ſua omnes ſuffragia, te auctore ſcilicet, mutaturos exiſtimas? aliter de me judicarunt *Rapinus*, *Menagius*, *Gradius*, ac *Favoritus*, Principes Poëtarum, Gallorum ſimul & Italorum: aliter doctiſſimus ac diſertiſſimus, qui optime de his judicare poterat, *Ferdinandus*, Paderbornenſis ac Monaſterienſis Epiſcopus, Poëta ipſe clariſſimus, praeſtantiſſimus; qui & honorificentiſſimis ſcribere ad me verbis dignatus eſt, & luculento inſuper munere ſui mihi favoris teſtimonium dedit: Aliter item Sereniſſimus Elector Brandeburgicus, *Fredericus* cognomine *Tertius*, optimus ac liberaliſſimus Princeps, qui & mihi, ut & amico meo Broukhuſio, multa ac magna ſuae ſaepe gratiae exhibuit documenta: Aliter denique Auguſtiſſimus Imperator *Leopoldus*, qui pro uno carmine, (nulla enim alia, credo, ſub Sacratiſſimae ejus Majeſtatis conſpectum venere) me

& numiſmate aureo, & aurato inſuper torque honoratum voluit. Haec ego non dicerem, Lector, niſi ut rebus, non verbis, oſtenderem, me viris iſtis Principibus non diſpicuiſſe; qui ſi me nihil niſi *mediocre carmen* credidiſſent poſſe eomponere, non ſuis me dignum muneribus cenſuiſſent. De Orationibus meis idem amicorum meorum, & doctorum inſuper hominum, judicium fuit. Vide quid, tum de his, tum de illis, in Ephemeridibus ſuis dixerint Lipſienſes. Sed ego ſtultior ſim ipſo *Valerio*, ſi pluribus haec velim defendere. Qualia vero tu carmina facis, *Valeri?* inepta, inſulſa, puerilia. Quales Orationes conſcribis? hieme Sarmatica frigidiores, quae ſine faſtidio, ſine ſomno etiam, vix quiſquam legat. Finis Oratoris eſt perſuadere. quae in Orationibus ſuis perſuaſio? quis ornatus eſt Oratorius, ſeu verba ſpectes, ſeu ipſas quoque ſententias? Nullum elegantium verborum delectum habes: ſine ullo ea diſponis judicio: nullam rationem numerorum intelligis: quae artificii ſumma. Hae *arcanae* ſunt *noſtrae*, & *reconditae litterae*; quarum tu nullum omnino aut guſtum habes, aut ſenſum. Quare deſine Orationes tuas Orationes vocare. Diſſertationes ſunt illae, & merae Hiſtoriae, nec quicquam habent commune cum Oratorum ſermone, quem per excellentiam ſuo jure & merito *Orationem* vocamus.

Palpum porro obtrudit, in ſequentibus mihi *Valerius*, laudando quaſi, & blandiendo, *hoc unum me recte facere*, affirmans, *quod veteres illos Heröas, Ciceronem, Virgilium, Ovidium &c. imitandos potiſſimum cenſeam*. Gratias tibi habeo, *Valeri*, pro honorifico teſtimonio. Ego vero eos non *potiſſimum* cenſeo imitandos, ſed *ſolos* & *unicos*, ſi paucos iſtius aevi adjungas

aequa-

aequales. Illos autem non tantum *imitandos censeo*, sed & ipse *imitor*, si nescis, *Valeri*, quod tu non potes; & ante annos viginti, immo triginta etiam, istius, si dubitas, rei complura dedi specimina. Redit deinde ad Peraltum, cui *aliquid reponere mearum non fuisse virium*, ait, *industriae*, *animi*. Verum dicis, *Valeri; tuarum id virium* est, qui multo me es *Valentior; tuae industriae, tui animi;* ego enim tantum *industriae*, tantum *animi* in me non agnosco; & *timax* non minus sum, quam *ignorax*. quem tu tamen adeo *superbum* esse & *insanum* affirmas, *quasi solus servarem gloriam antiquam Atticam, & Patriae reddam Heinsios*, *aliosque* &c. Non dico me solum Atticum esse; magis tamen ad exemplum Atticorum, & veterem illam scribendi normam, accedere me existimant homines, *Valeri*, quam aut te, aut alios multos. Non dico me Heinsium esse, sed propius tamen isti, & melius, Danielem me Heinsium referre putant, quam aut te, aut Collegarum tuorum quenquam. Non requiritur dos illa Oratoria & Poetica in aliarum Artium Professoribus; quare nec ea quae modo dixi; aut ea etiam quae nuper scripsi, ullo ad eos pertinent modo; quos tu tamen concitas in me omnes, atque irritas, quasi eos extrema illa parte mei Epigrammatis laeserim:

Nobile Lugdunum, Suadae domus, heu, ubi nunc est
Oris & ingenii vis prior illa tui?

Quem haec spectant verba, nisi Eloquentiae Professores? nisi Oratores & Poetas? nisi Cunaeos, Heinsios, Baudios? quorum nihil simile videas hodie. Hanc tamen *scurrilem proterviam* appellare audet *Valerius* pag. 5. & me injurium fuisse dicit, in *praecipuam patriae Academiam*, in *publicos*, & *praesertim Eloquentiae Professores*, *in ipsos* etiam *Curatores*, *quorum est curare* (nam ratio-

nem addit, quasi id ignorarent illustrissimi Curatores) *ne quid Academia detrimenti capiat.* Primum, nego haec *scurrilia* esse, quae honesti & generosi animi verba sunt. Sed verum non amant homines, in Poetis praesertim; & verum est vetus illud:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Deinde nego item ullos me laesisse alios, praeter illos Eloquentiae Professores, ad quos haec possunt spectare. Ego vero te potissimum ante oculos habui, *Valeri*, quem ineptum non minus Oratorem esse dico, quam Poëtam. Ad Curatores vero quod attinet, neutiquam haec ad eos referri res potest. Illi dignos circumspiciunt Professores; qui si deinde tales esse non comperiuntur, non est ipsorum culpa, sed hominum. Video autem, non apud Collegas tantum tuos, sed & apud illustrissimos Curatores te mihi invidiam creare voluisse: in quo tamen frustra te futurum existimo. Perspiciunt enim artes tuas, &, quas mihi struis, insidias. Carpit porro eodem loco *Valerius*, quod in Elegia quadam Graecanica, anno 1686 Amstelodami pronuntiata, dixerim, sub finem illius, alio translatas jam Musas, imprimis Graecanicas, pro *Rheno Amstelam*, pro *Lugduno Amstelodamum*, pro *Dousis Consules Amstelodamenses*, pro *Daniele Heinsio me* nunc fore, & in pangendis Poematibus, praesertim Graecis, id hoc me loco facturum, quod ille olim Luduni fecerat. Quem offendunt haec verba? Si quenquam ista offendere poterant, Matthaeus is erat Sladus, qui pulchra, & qualia tu facere non potes, *Valeri*, pangebat Poëmata Graeca; idque jam fecerat, per aliquot annos. Sed nec illum nec quenquam laedere volui, & ut ille mihi concedebat primas, (qui non natura sed arte atque industria factum se Poetam praedicabat; tanta erat viri modestia!)

ita ego in publico munere constitutus, & ad formandam iuventutem delectus, sine cujusquam invidia haec me dicere posse existimabam. Invidiose tamen, ut solet, haec proponit *Valerius*, & *me aegrotorum more nescio quam* μεταμόρφωσιν *somniasse*, affirmat, quasi ego jam totus in Heinsium transformatus essem. Pretium operae est ipsa verba adducere; ea autem Orationum mearum pag. 115. ita sonant.

Καὶ νῦν Μουσαγέται, ϗ νῦν Μουσῶν ὑποφῆται,
Καὶ νῦν Δουσιάδαι εἰσι, ϗ Εἰνσιάδαι.
Λουγδοῦνον πόλις ἤδ' ἔστ', καλὸς Ἄμστελα Ῥῆνος·
Δουσιάδαι ὕπατοι· Εἰνσιάδης μὲν, ἐγώ.
Χαίρετε, Λουγδούνου καλὰ τείχεα, χαίρετε Μοῦσαι.
Τὰς ἔχομεν γαίῃ νῦν μὲν ἐν Ἀμστελίῃ.

Haec tam suavia effutire me non erubuisse in frequenti auditorio, asseverat, & verum hîc dicit, *Valerius. Frequens auditorium fuisse*, ait; multos ergo auditores habui, nec semper solus obambulo. Addit *haec me effutire ausum fuisse.* Ita se res habet; neque quenquam illa offendit; nisi, post tantum temporis intervallum, & decennium integrum, hunc ipsum nostrum *Valerium.* Verum scilicet audire non potest, qui verum ipse non dicit. Haec nimis tibi magnifica verba videntur, & Thrasonica, *Valeri?* audi quid in hac ipsa dixerim Elegia pagina praecedente.

Πάντα ἔχει Σοφίη ψευδώνυμος· ἔστι δ' Ἀπόλλων,
Ἔστι φυγὰς Μούσῃ, ἔστι ϗ Εὐεπίη·
Ναιετάουσιν βαρβαρικαὶ Ἑλικῶνα βαλανὸν,
Ἑλλαδικῶν Μουσῶν ἀντὶ, ϗ Αὐσονίων.
Πάντα ποθεινοτάτων μισοῦσι μελίσματα κούρων.
Μωρὸν ἀρειότατος οὔνομα Μουσοπόλος.

Vides verba generosa, neque timidi, ut puto, animi signa: id est istiusmodi hominis verba, qui pro caussa, ut

C existi-

existimat, bona, ac re sua, aliquid dicere & audeat simul & possit. quae si tibi nondum sufficiunt, Audi, quid scripserim etiam diu ante id tempus, ad Serenissimum Principem Ferdinandum, in Eucharistico ad illum meo, novellae Editionis pagina (nam imprimuntur denuo mea Poëmata, audin *Valeri*? in quibus tu tuum invenies locum; stabis enim in iis, ut in domo Persei stabat Phineus) pagina illius, inquam, Editionis 79.

Illa dies fuit, innumeros cum, Belgica tellus,
Nutribas olim vates, murisque fovebas,
Leida tuis; cum Scriverius, cum clarus Iämbo
Baudius, & veterum culto par Heinsius aevo,
Fonte Caballino madidus, cum maximus ille
Gentis honos nostrae Grotius, gnatusque paterque,
Non minus illustres cantu quam sanguine, Dousae,
Devoti Musis Dousae, Heroumque Ducumque
Progenies, Ducibusque atavis majoris Iuli
Scaliger, Aoniae princeps ductorque catervae,
Ingenti late pompa tua templa terebant.
Nunc oblita tibi tot nomina: nunc tibi vates
Excidimus; fugitque suo de limine Phoebus.

Quid dicis, Valeri? nam haec aliquid amplius dicunt, aut nihil certe minus, quam priora illa. miror istum te locum praeteriisse, neque *oculis* tuis *emissitiis* eum te videre potuisse qui in rebus istiusmodi indagandis sagacissimus esse soles. Vides, quid sentiam de Leida Veteri, & de praeclaris hominibus, qui loco isti olim famam dederunt, quorum tu vix unum aut alterum nominas tantum, & sicco quasi pede transcurris, in Oratione illa tua nupera inaugurali: ipse enim pro iis es, & *Cajus Valerius Accinctus* istorum facile numerum suppleturus est omnium.

Vides

Vides item quid de Nova illa ſentiam Leida, vel jam dudum ſenſerim potius: nullo ibi amplius in honore Poëtas eſſe; Phoebum & Muſas aufugiſſe, ac priſtinum ſuum domicilium deſeruiſſe. Ridet autem *Valerius*, quod Amſtelodamum eas conceſſiſſe dicam, & iniquum me fuiſſe ait in eos, *qui tum temporis Lugduni Muſarum ſacra curabant, Theodorum Ryckium, & Jacobum Gronovium, viros eruditiſſimos*. Nunquam negavi *viros* illos *eruditiſſimos* eſſe. De *ingenii foetibus* quaeſtio eſt, quos tu non amas, *Valeri*. Nec mirum ſane. Quî enim aliorum aeſtimaret ingenia, qui nullum ipſe ingenium habet? Cum *Theodoro Ryckio* longam habui amicitiam, & non interruptam; qui & luculentum de me ac ſtudiis meis, in ſua ad Tacitum Praefatione, teſtimonium dedit. Nunquam vero ille laudem Poeticam affectavit: immo aperte, ſe non eſſe Poëtam, neque ullum omnino verſum poſſe procudere, palam teſtatus eſt. Nam cum Nicolaus aliquando Heinſius vel unicum illi paucorum verſuum Epigramma extorquere vellet per jocum, dum in Ejus uterque hoſpitio eſſemus unà, nullam illi exprimere potuit lineam. Quin ingenue fatebatur, ſe nullos unquam verſus feciſſe. Vides illum multo te ſapientiorem fuiſſe, *Valeri*? qui tales utique, quales tu facis, conficere facile potuiſſet, niſi ſciviſſet mediocria carmina etiam, multo magis illa, quae longe infra mediocritatem ſubſiſtunt, ut tua, ab omnibus repudiari & irrideri. Nullo itaque modo hiſce meis Vir iſte offendi potuit verbis. Et ſane minus hoc meo eum ſermone offendi vivum, quam ſuo tuus nuper Collega mortuum; qui *poſt frigide ſatis exercitam per aliquot annos eloquentiam nihil in eo ſe, niſi nomen Collegae, amiſiſſe* teſtatus eſt palam. Haec de Ryckio.

Quod ad *Jacobum* autem *Gronovium* attinet, paullo aliter ſe res habet. A puero mihi cum eo amicitia fuit, hoc eſt ab eo tempore, quo Parentis ipſius me diſciplinae tradidi. eam deinde conſervavi, & ſanctiſſime colui, cujus rei extat in Poëmatis meis mea ad ipſum transmiſſa in Hiſpaniam Elegia; quam & novae Carminum meorum editioni inſerendam duxi, ob memoriam amicitiae priſtinae. Quanquam jam impreſſa eſſet Elegia iſta, οὐκ ἔτι ἐν φανερῷ οὔσης τῆς ἔριδος. Studui illam ſopire, & loqui cum homine volui, cum Leidae eſſem ante dies non ita multos, ſed ille videre me noluit, neſcio quam cauſſam praetexens, & Epigramma quoddam allegans, quod à me confectum ajebat, & in quo *Gaetulum* ſe *Apollinem* appellatum dicebat. Ita videlicet à *Valerio* ſuo acceperat, qui iſtius me auctorem carminis eſſe contendebat; ſic enim ſe audiviſſe à ſuis in hac urbe amicis aſſeverabat. Ita ubique ſibi amicos parat; mihi hoſtes conciliat; ubique incendium conflat iniquus iſte & malignus *Valerius*. More vero ſolito Heros iſte mentitus eſt, cum hoc dixit: ego enim carmen illud non feci: qui dicerem, ſi feciſſem. Nam non *Valerii* tantum, ſed & *Gronovii* perdere in perpetuum amicitiam malo, quam in hujus aut illius gratiam ullum proferre mendacium. Hanc autem rem ita ſe habere dixi, cum Leidae eſſem, ampliſſimo Bergio, & clariſſimo item Voldero. Is ergo, qui nunc nulla mihi de cauſſa iratus fuit aliquamdiu, nunquam mihi ſignificavit, quod hic ait *Valerius*, iſta ſibi verba non placuiſſe, aut ullo ſe notatum modo. Neque vero rem iſtam in malam accipere partem potuit, qui Poëticam, quod ſciam, lauream affectavit nunquam. Recordor etiamnum quae juvenis ille mihi dixe-

dixerit juveni. Memini quoque multos eum postea versus fecisse: Poëtam vero unquam esse voluisse, non memini: aut in hoc mecum curriculo contendere cupiisse. Habet suas iste Vir dotes, & in Criticis, ac Graecis praesertim auctoribus, ea eum praestare posse existimo, quae non facile alius, ne ipse quidem *Valerius*, qui sibi blanditur tantopere, & quidvis se facere posse existimat, sit praestiturus. Longe enim aliud quid ab ejus mihi Æliano promitto, quam à *Valerii* illo, quem in secunda sua nobis pollicetur Epistola. Quamobrem non possum in animum inducere, his meis verbis ullo modo laesum esse *Gronovium*; qui post illud tempus sinceram mecum, ut ante, & non fucatam, ita credidi certe, & credo nunc quoque, amicitiam coluit. Et si rem recte putemus, ubi tu existimas, *Valeri* (ad te enim provoco) habitasse tum temporis Musas; Leidaene, ubi *Theodorus Ryckius* erat, & *Jacobus Gronovius*; an Amstelodami, ubi *Janus* degebat *Broukhusius*, & *Petrus Francius*? aut, si de Graecis tibi carminibus sermo est, ubi *ego* eram, & *Matthaeus Sladus*? Quid videtur *Valeri*? audes proferre quod sentis? Responde itaque, si audes, si potes. Viros autem istos, modo nominatos, *tunc temporis Lugduni Musarum sacra curasse*, affirmat ibidem *Valerius*. Quid hoc est, *Musarum sacra curare*? an, carmina pangere? ita proprio sensu deberet accipi, credo. sed sophistam hîc rursum agit *Valerius*, & generali significatione accipit pro, Litterarum & Eloquentiae Professorem esse. Quod si ita sese haberet, Oratores tantum ea verba respicerent, non Poëtas. At ego de Poetis solis, & Poetica facultate isto locutus sum loco. En artes *Valerii*! Jam vero cum dixi, me *Heinsiadem* fore, an tum

dixi, me in *Heinsium* totum quantum esse transformatum; an vero, me ejus nunc loco futurum? si prius illud, ergo *Amstelodamum* erat *Leida*; *Amstela*, *Rhenus*; *Consules*, *Dousae*; id est Leidensis Academiae Curatores, non hujus civitatis Rectores. Quin & plures sic essent Dousae, pro uno, mirabili quadam μεταμορφώσει, & plus quam Pythagorica μετεμψυχώσει: quae cum sint absurda, & inania, immo ἀδύνατα omnia; vel caeco apparet, quam futilis, & auctori suo similis sit, argutatio ista *Valeriana*. Adjungit ibidem Censor *nihil me esse ad Heinsium; multa eum docuisse, scripsisse, multos Graecos & Latinos auctores illustrasse*. Scio haec omnia, neque unquam me *Heinsium* esse dixi; non magis quam te *Salmasium*. Novi illius viri virtutes, & pluris, quam tu facis, facio. Nunquam me illi composui, nisi ubi de studio sum locutus Poëtico, & Oratorio; ac versibus, praesertim Graecanicis, ut hoc ipso in loco. Et sane similior ego sum *Heinsio*, quam tu *Salmasio*: ego enim Oratorium cum eo & Poëticum commune studium habeo: tu cum altero illo nihil habes affine, nisi livorem & maledicentiam. Princeps fuit Litteratorum *Salmasius*; & coryphaeus. Tu, cum ejus doctrinam assequi nequeas, ut aliqua tamen eum referas parte, rixandi ac litigandi ab eo es studium mutuatus. Uti vero is *Heinsium* crudelem in modum habuit, & exercuit quamdiu vixit, ita tu me eodem isto tractare conatus es modo. Sed nec istius aetatis sum ego, cujus ille tum fuit; nec tu eam vim habes, utcunque malitiam, quam in suos iste exeruit inimicos. Sed age, &, quantum potes, annitere. Tu te *Salmasium* praesta; ego *Heinsius* ero; qui nunc demum ex vero esse mihi *Heinsius* videor, postquam te, non *Salmasium*,
sed

ſed alterum mihi *Scioppium* nactus ſum. Quod vero addit *per exquiſita & recondita, ex interioribus litteris eruta, ipſum & ſuum & Lugd. Acad. nomen aeternitati conſecraſſe*, id neſcio an ab omni parte ſit verum. Ingenii enim dotibus, Poematibus praeſertim & Orationibus, tantam eum gloriam adeptum puto. Non magis eſt verum, quod addit, *non alias eum ob dotes ad ſpartam iſtam ornandam admotum fuiſſe*. Nam ingenii ſui faecunditate, & ſtudio imprimis Poëtico, Joſepho ſe commendavit Scaligero, & annorum XVIII juvenis ad Eloquentiae & Hiſtoriarum profeſſionem fuit vocatus. Adjungit pag. 6, *ſe non aſpernari Poëtarum delicias, amare, & colere*. Credo, & patet ex Valerii ipſius carminibus, elegantibus ſane; & mirum in modum Poëticis.

Ut ſaepe ſumma ingenia in occulto latent!

Repetit eâdem pag. 6, quam & adduxerat ſupra, illam de Peralto hiſtoriam, meque, ſi *Heinſio* ſimilis eſſe velim, reſpondere iſti homini debere, contendit. Ego vero aliter ſentio, & iſtiuſmodi homines cum eodem illo *Heinſio*, contemnendos puto. Ut vero dignum iſte ſibi adverſarium habeat, eum tibi commendo, *Valeri*, qui jam multas copias auxiliares ad iſtud praelium comparaſti: qui jam te *accinges*, ubi me profligaveris; quem tu

Tam facile vinces, quam pyrum volpes comeſt.

Addit, ut tanto magis me incitet ad ſcribendum, ita jamdudum feciſſe amicum meum, Janum Broukhuſium. Nota vero, Lector, malignum hoc loco ac malevolum *Valerii* animum, qui iſtum à me ſodalem avertere, & inter tam longo uſu conjunctos diſcidium facere amicos ſtudet. malis vero artibus illud aggreditùr, ab iſta eum

parte

parte laudando, qua minime laudari velit; ac mea illius versibus postponendo. Tanta prudentia est Janus Broukhusius, ut istis non facile blandimentis cedat: tanta modestia, ut non magnifice de suis sentiat: tanta aequitate, ut meas mihi laudes non detrahat. Quid de meis ille versibus sentiat, ex ipsius apparere Carminibus potest. Quid de me Nicolaus judicaverit Heinsius, & an id verum sit, quod hîc dicit *Valerius*, longe meis praestantiora esse amici mei Poëmata, valde dubito. Scio illa optima esse, & melius id novi *Cajo Valerio*, qui de his judicare non potest, & nullum habet gustum harum lautitiarum; si enim haberet, aliter scriberet. Scio item non male de meis opinatum fuisse Nic. Heinsium, qui si non aliquam de me opinionem concepisset, & spem in herba effulgere vidisset, non carmen illud meum, quod ante annos triginta composui vix octodecim annorum juvenculus, & quod meus ad ipsum Praeceptor non sine verborum honore transmiserat, Joh. Fred. Gronovius, inter Adoptiva sua Poëmata, & praeclara doctorum nomina, collocasset. Sed quoniam ad mortuos provocat Adversarius meus, non inconveniens huic loco videtur, quid Nic. de me senserit Heinsius ex illius ad me Epistolis in lucem & adspectum producere.

PETRO FRANCIO
V. Cl.
NICOLAUS HEINSIUS
S. P. D.

Quas ad me binas misisti pridem una cum tuo ac Broukhusiano carmine, eæ, mi Franci, non Hagam Comitum, uti

uti factum est, sed recta Vianam fuerant mittendæ &c. Addam & exemplar tuæ Eclogæ, &c. De ea vero, quid a me sententiæ feratur, paucis accipe. Vidi & miratus sum, progressum in re Poetica omnem nondum te consummasse, adeo in iis, quæ dedisti nuper, cum temet ipso felicem contendisse in modum, nec sine palma, apparebat. *Jam* semel iterumque attentus carmen perlegeram, cum lectionem ejus denuo sum adortus una cum nostro Grævio, *qui ad me jacentem ex morbo inviserat forte proximis diebus.* Is *autem lectione ad finem perducta* judicio meo subscripsit, quod ignorari à te nolo. *Vale, mi Franci, meque, quod facis, amare in posterum perge. Vianae ad Leccam A*°. CIↄ IↄCLXXVIII. *a. d.* $\frac{XV}{XXV}$ *Januarii.*

Ecloga, de qua loquitur, est illa, quae *Natalis Christi*, sive *Pastores Bethlemitici* appellatur. Eam ad Principem Paderbornensem se missurum promittit ὁ πάνυ: de qua quid senserit, ex ipsius verbis apparet. Non gravaberis, credo, Lector, ejusdem argumenti unam atque alteram, istius Viri Epistolam legere, qui doctorum judicio omnium, in hoc scribendi non minus excelluit genere, quam in ipsa Poetica. Eae autem ita se habent.

PETRO FRANCIO,
V. Cl.
NICOLAUS HEINSIUS
S. P. D.

Parnassum domi inhabitare nunc vere mihi videor, quod tu in tuis versibus ingeniose plus æquo nuper com-

miniſcebaris, quando tot præclaris pulcherrimiſque ingenii tui monumentis ſub unum fere idemque tempus me cumulaſti: Orationem tuam *multa quidem cum voluptate* perlegi, & ſucceſſum miratus ſum, nihilo infeliciorem eo, quem ſolitus es præſtare in Poeticis lucubrationibus. De Poematio, *quod inſcriptum voluiſti meo nomini*, ſtatues pro arbitrio. Id *tamen* quando luci non ſubtrahendum arbitraris, mecum profecto ſentis; eſt enim digniſſimum, quod litteratis oculis in publico ſe credat. *Quas illic in me cumulaſti laudes, eæ nequaquam permittunt, ut fuſius virtutes tuas deprædicem; ne exemplum a te mutuatus videar, etſi majori jure, quam tu, id ego tentare poteram. &c. Vale, ſuaviſſime Franci, & mihi velle, cum nihil affectu hoc tuo habeam antiquius, perge. Vianæ ad Leccam* CIↃ IↃC LXXX. a. d. XII *ſextil.*

Vides, Lector, quid de me ſenſerit Vir iſte vere illuſtris, & multis mihi nominibus obſervandus, cujus mei amoris & affectus publicum illi plus ſemel teſtimonium dedi. Oratio, cujus ſatis luculentam, ut apparet, mentionem facit, quam omnium ingenioſiſſimam vocant Lipſienſes; quam ſuper menſa ampliſſimi Bergii, Crucio Gronovioque praeſentibus, irridere auſus eſt palam *Valerius;* Orationum mearum eſt quarta, *Encomium Galli Gallinacei* continens. Carmen, cujus meminit vir Nobiliſſimus, illa eſt elegia, quae in priore Poëmatum meorum editione, libro primo legitur ultima, quam ad ipſum Vianam transmiſi, in quarto, ut vocant, impreſſam; nam ante iſtorum carminum editionem in vivis eſſe deſiit, ὁ νῦν ἐν μακάρεσσι. Non malum itaque me & Orato-
rem

rem agnoſcit & Poëtam *Nic. Heinſius* ; aliter multo quam *Cajus Valerius* ; qui *non niſi mediocre carmen & miſeram Orationem componere* me poſſe affirmat. Sed ecce tibi aliam rurſum ejuſdem Viri Epiſtolam.

PETRO FRANCIO,
Viro Cl.
NICOLAUS HEINSIUS
S. P. D.

N*Arro* pulcherrimos verſus tuos ad me perlatos *eſſe*, *idque litterata Gisberti Cuperi Viri Conſularis manu , qui eos à noſtro Grævio tradendos mihi acceperat. Muneri per ſe longe gratiſſimo pretii nonnihilum additum eſt , quod praeter exſpectationem omnem ad me pervenit. Debebam , mi Franci , in tuas nunc , ſi unquam , laudes meritiſſimas uberem me & copioſum præſtare , ſed nimiis iſtis praeconiis os mihi obſtructum eſſe pudibundus agnoſco. Quanquam* ſi laudandum nunc te ſuſciperem, *quod pro jure meo poteram & debebam*, haudquaquam tamen aſſurgerem ad illam ingenii tui feliciſſimam facultatem, qua ſine æmulo excellis , *&c. Vianæ ad Leccam Anno* clɔ ɪɔc lxxx *Nonis ſextilibus*.

Apparet ex hiſce litteris, quae viri illius ſententia fuerit de ſtudiis meis Poeticis , quae hîc fruſtra elevare ſtudet *Valerius* ; qui & ipſe aliter ſenſit , neque *mediocrem* me *Poëtam* eſſe , unquam ante hunc diem auſus eſt dicere. Quid cogitaverit , neſcio : quid ſcripſerit , ſcio : & ſi tu quoque ſcire deſideras , amice Lector , ſatisfaciam deſi-

 derio

derio tuo, & ipsius *Valerii* verbis *Valerium* refutabo. En autem eas ipsas, quas ille ad me olim exaravit Epistolas.

Viro Clarissimo

PETRO FRANCIO

S.P.D.

JACOBUS PERIZONIUS.

ID *quod nuper recepi, quum Te videre, & exoptatissimo tuo colloquio frui licuit, praestandum jam visum fuit*, celeberrime Franci. *Mitto itaque exemplar carminis in Clariss. V. Jac. Gronovium facti, sed quale ego, vel Cluvienus: ne tu mihi ex hac confidentia, dicam, an temeritate, qua illud subire* exactissimum Tuum judicium *non invitus pati videor adversariam mihi aliquam in animo tuo constituas: exspectationem dico, quam te exiguam habere, vel potius nullam velim, ubi ad legendum accesseris.* Nec *enim* tam suffenus sum, ut in amœnioribus illis Musis, in quibus Tu cum Nobiliss. Heinsio, principatum jam vere obtines, immo gloriam antiquam soli retinetis, me quoque aliquid posse existimaturum te putem. satis mihi *illud est*, si non *alienum me plane ab iis esse, aut* rustice *vel* barbare *abhorrere censeas. Vale,* Vir Excellentissime, *&c. Daventriæ a. d. x Novembreis* cIↃ IↃC LXXIX.

Agnoscis alium ab hoc *Valerium.* Eundem tamen iterum audi; & ex aliis ad me litteris, in eandem fere sententiam scriptis, quid ille tum de me senserit, & hoc ipso Poetico studio meo, animadverte.

Viro

Viro Clariſſimo

PETRO FRANCIO
S. P. D.
JAC. PERIZONIUS.

Sera gratulatio reprehendi non ſolet, ſi Tullio ſides: haud ſcio an & ſera Gratiarum actio. Ingentes *equidem* tibi debeo, Vir clariſſime, pro miſſo tam eleganti, & docto ſimul munere, *ſed dum prius* perfundi geſtio voluptate, quam *ex doni tui perluſtratione mihi certa ſpe affirmabam, & tamen* exſpectatione majorem percepi, *tantiſper officii mei, quam ſcribere debebam, rationem diſtuli, &c, Quid multa? quod dudum debueram, nunc tandem praeſto,* & infinitas tibi ago gratias, quod me quoque iſto tui ingenii fetu, leporis, venuſtatis, & omnis elegantiæ penitus referto, impertire voluiſti. *Vale. Franequeræ:a. d.* IV *Kal. Jan* CIↃ IↃ CLXXXIII. quem feliciter decurrere te velim.

Loquitur de Poematis meis, quae anno 1682. in lucem publicam prodierunt, & pro iis gratias mihi agit *Valerius*,

— Quantum mutatus ab illo
Hectore!

Quis aut eundem hominem illum eſſe, aut de eodem illum homine loqui credat? Ego non capio miram iſtam μεταμόρφωσιν, & ipſe opinor obſtupeſcet *Valerius.* Dolebant ei oculi certe, ubi has viderit ὀφθαλμῶν ἀλγηδόνας. Haec *de Poetica* mea facultate *Latina*: videamus de *Graeca.*

Viro Clarissimo

PETRO FRANCIO
S. P. D.
JAC. PERIZONIUS.

Q*Uam ingratum mihi nuper accidebat*, *quod Te domi non invenirem*, Vir celeberrime, *tam* jucundum *mihi nunc obvenit*, Te audire *tamen*, & cognoscere in elegantissima illa Graeca & Latina Elegia, *cujus copiam mihi fecit tua comitas*. Solus es, quem diligunt Dii, & quem nascentem Musa vultu sereno videtur dignata: ita omnia, quæ à te proficiscuntur, tendunt ad retinendam gloriam antiquam patriæ, pene alioqui collapsam prorsus. *Sed* non nostræ laudis egent tui ingenii fetus. *&c.* *Vale*, Vir Præstantissime, *& me in tuis numerare persevera. Franequeræ Prid. Kal. Novembres.* CIϽ IϽC. LXXXIII.

Animadvertis, vel ipso *Valerio* judice, me aliquid amplius, quam *mediocre carmen* posse conscribere; idque, eo agnoscente & confitente, uti *Latine*, ita & *Graece*? Elegia autem ista, cujus meminit, Latino Graeca, ea est ipsa, quam in obitum optimi Principis Ferdinandi, Paderbornensis ac Monasteriensis Episcopi, magni illius Herculis dicam, an Apollinis, Musagetae utroque sermone composui. Accipe nunc ejusdem generis aliam eundem in modum Epistolam.

PE-

PETRO FRANCIO
Viro Clarissimo
S. P. D.
JAC. PERIZONIUS.

E*xiit tandem post longam & molestam mihi sane moram Libellus hicce Animadversionum Historicarum in publicas luminis auras: Patere eum, veluti* ἀντίδωρον, *valde licet impar*, jucundissimis tuis atque ingeniosissimis Musis *rependi, dum nihil aliud habeo, quo respondere illis queam, & vel sic perge sis me demereri, mittendo subinde* limatos ingenio tuo Musarum fetus, quibus ego capior, & afficior majorem in modum. *&c. Vale, vir Clarissime, & quod facis, amare me persevera. Franequeræ a. d.* XII. *Kal. Martias, anni* CIϽ IϽC LXXXV.

Audivisti hactenus, Lector, quam de Musis meis, tum Latinis tum Graecis, opinionem haberet Censor, dum ista ad me perscriberet; nisi aliter senserit, aliter scripserit. Quid si ejusdem tibi sententiam promam de hoc ipso *Oratorio studio, fracta voce*, & *mollibus* istis *gesticulationibus*, quas nunc deridet tantopere? Miraberis, scio, & obstupesces. Ego certe, dum lego, horreo, in uno & eodem homine tantam inconstantiam esse. Tota res memoria mea effluxerat, qui non soleo ista retinere, multo minus in diurna referre. Sed gaudeo me tantum praesidii invenisse, ad profligandum Heröa nostrum, in *reconditis* & *interioribus litteris*: quas majore nunc studio prosequar, postquam has auxiliares mihi copias suppeditarunt.

Viro clarissimo

PETRO FRANCIO

S. P. D.

JAC. PERIZONIUS.

COram quod nuper facere volebam, cum Amstelædamum excurrissem, officio meo ut defungerer, ac officia deferrem per literas idem exequendi occasionem, quæ ultro offertur, amittere nolui. Juvenis hic, *qui hasce perferet, vestra in urbe sedem fixurus*, rogavit me, *si quid vellem, immo vero*, ut vellem, *quacunque ratione* aditum ipsi *aliquem* aperire ad Tui noticiam & observantiam. *Suspicit te & veneratur, tanto magis, quia &* ipse Poesin, qua Tu Græca Latinaque Principatum facile obtines, sed vernaculam *ille, sic satis feliciter, ac perite* excolit. *Dein honesto modo* sublegere tibi studet tuam illam artem exquisitam pronuntiandi, ac recitandi decore sciteque paratas concioni orationes, *futurus quippe* Orator Concionalis, *seu mavis Ecclesiasticus. Hæc sunt, præclare Franci, quæ Te volebam, nec est quod amplius tua tempora morari audeam. Vale, & nos tui amantissimos vicissim amare persevera. Franequeræ postrid. Eidus Quintileis.* CIƆ IƆC LXXXV.

Quid judicas de hoc homine, Lector; aut quid ipse de se judicat potius, qui de eadem re & persona, tam variam ac diversam sententiam profert? Liquet Martis filium esse hunc ἀλλοπρόσαλλον: neque quicquam aliud quaerere, quam rixas & contentiones; malum ac malignum animum obliqua in optimos quosque instigante invidia. Apparet itaque

que quid de me senserit & vir iste illustris & ipse quoque *Valerius*, cum nondum esset *Accinctus*; neque multum ex vero habere, quae hîc dicit *Cajus*. Ut vero magis me urat, (accendat, ille diceret) ait amicum meum *ab hisce amoenioribus digredi saepe ad paullo severiora.* Quod ut verum esse ostendat, citat *libellum Rapini*, ubi vir ille comparationem instituit inter Virgilium & Homerum; quem e *Gallico in Latinum transtulisse* hunc ipsum significat. Verum est, quod dicit; sed ex isto mustaceo, cum ex omni *Valerius*, nullam unquam lauream quaesivit amicus iste. Libellum illum converterat, dum Ultrajecti esset, & satis haberet otii, suadente & hortante clariss. Graevio, qui Latino ista sermone legi è re communi fore judicabat. Eam autem, qualiscunque sit tandem, cum Henninius sibi gloriam vindicasset, adeo non graviter tulit rem istam Janus Broukhusius, ut hanc illi palmam cederet universam; neque unquam ad res suas repetendas miserit Fecialem. Agnoscis, *Valeri*, multo eum generosiorem te hominem esse? quantis enim clamoribus, quantis jurgiis, quantis convitiis etiam, tuum tu istud opusculum vindicasses? Addit, *doctas in Sannazarium notas eundem* meum amicum *scripsisse.* Verum dicit, cum hoc dicit: sed ipse id dicere Auctor potuisset, si tanti putasset. Is vero cum nomen suum noluerit addere, vetuerit etiam, & disertis id in Praefatione sua dixerit verbis, quis tantum tibi juris concessit, mi homo, ut omnibus faceres palam, quod ille voluit occultari? &, quod tibi ut secretum commiserat, divulgares? Rem fecisti, ut tibi minime licitam, ita ipsi valde ingratam. Quod vero de *Propertio* addis, alterius generis est, nec indignum illud suo auctore futurum est opus; quod magno cum

desiderio exspectamus omnes. Hic vero exclamat Noster: *haec videre potes, haec ferre, nec raperis tantis stimulis incitatus ad decoram aemulationem?* Quis non ex animo loqui *Valerium* putet, & famae meae consulere hominem credat? Fraudulenta ista sunt verba, & insidiosa,

—— κακαὶ φρένες, ἀδὺ λάλημα.

Non enim meum captat, aut rei litterariae commodum; sed videre desiderat aliquid, in quo Censoriam suam virgulam, & Criticum illud suum acumen exerceat. Adeo *Cajus* iste *Valerius* ubique *Valerius* est.

Dicit eadem pag. 7, media,

Et certamen erit Corydon cum NEMINE magnum.

Elegans parodia Virgiliana, & longe suavius est *Valerianum* illud *Nemine*, quam illius *Thyrside*. Sed quisnam iste est *Nemo?* quis *Corydon?* me *Corydonem* esse, patet ex versu sequente.

O Corydon, Corydon, &c.

Possem eadem elegantia dicere, qua ille modo:

O Nemo, Nemo, quae te dementia cepit?

Non minus enim hoc suave est, quam illud alterum. Si ego itaque *Corydon* sum, ille sit *Nemo* oportet. Vides, Lector, latitare voluisse hominem istum, & sub fictitio illo *Valerii* nomine suum in me virus evomere? Et latitasset omnino hic ipse, ac solito suo more, se *Valerium Accinctum* non esse, mentitus, ut puto, fuisset, nisi sub principium pag. 4, se ipse indicasset, & in domo Jani Broukhusii eo tempore, quo sermo iste, quem narrat, habitus ibi fuit, & se fuisse dixisset. Adeo in omnes se formas convertit, ubique dolos & fallacias, ἢ λόγων πλεκλάνας, nectit *Cajus Valerius Nemo*. Lepidam autem istam nominis transmutationem ex Homero hausit, &, Luciano, apud

quos

quos Ulysses; cum μονόφθαλμον illum Cyclopa, Polyphemum, excaecasset, nomen ab eo rogatus, Ὄυτιν esse se dixit; atque ita miserum illum Gigantem suo decepit dolo ὁ πανουργότατος, ὁ κατάρατος, τῷ ὀνόματι κατασοφισθέντα. Miror autem, non *Polyphemum* potius appellari voluisse *Valerium* nostrum; nam & ipse est magnus, neque *Jacobulus* aut *Cajulus* vocari posset; & praeterea moribus est valde *Cyclopicis* ac *Polyphemicis*; lacerat insuper ac discerpit omnes, & vivos, si posset, manderet. Tum, quod caput est rei, celebris admodum est inter cognomines sibi Gigantas & Cyclopas *Valerius*, ὁ πολύφημος, ἢ πολλῆς φήμης ἄνθρωπος: sic ut non immerito *Polyphemus* appellari posse videatur *Valerius*: cujus illustre nomen

Ἤρχετο Ριπαίων ἄχρις Ὑπερβορέων.

Denique aliud quiddam est, in quo illis inter se convenit optime; quod, uti ille amiserat oculum corporis, ita hic mentis: quem ut ille nimio vino, ita hic nimia perdidit φιλαυτία. Ita ut alter quasi sit *Polyphemus* hic noster, nec minus, quam olim ille,

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Accedit, quod *Polyphemus*, ut Etruscus olim *Mezentius*, pius fuerit valde, ac religiosus. Sed, Ὀύλις dici, & *Ulyßes* maluit esse *Valerius*, quam *Polyphemus*. Cui viro uti prudentia ac sapientia neutiquam conferri potest, ita hoc cum illo commune habet, quod sit πολύτροπος. *Versipellem* diceret Plautus; *pellacem* appellaret Virgilius; *duplicem*, Horatius; *Bilinguem*, Phaedrus. Quis non serpentem esse crederet *Bilinguem* istum; nisi quod latret, non sibilet? In hunc itaque hominem *versipellem*, qui, instar Chamaeleontis, continuo colorem

 mu-

mutat; instar Serpentis, pellem exuit; in *duplicem* istum & *bilinguem*, *pellacem* ac *fallacem* hominem, & in omnes se formas ac mores mutantem ac transformantem, in Οὖτιν hunc nostrum, hoc breve epigramma composui, quod, ne quid te celem Lector, tecum volui communicatum.

Εἰς Οὖτιν, τὸν πολύτροπον,
Ὦ κύδιστε, μέγιστε, δολοπλόκε, καὶ ἄνα πάσης
Τῆς κακομηχανίης, καὶ λογοδαιδαλίης!
Οὐτιδανὸν τόνδ' Οὖτιν, ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ἐχθρὸν ἐμὸν, μισῶ, τὸν πολυμορφότατον·
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει
Χείλεσιν, ἀνθρώπων μῖσος, ἠδ' οὐρανίων.

Cum *Nemine* itaque certamen mihi futurum est; & in *Neminem* haec conscripsi. Quare *Nemo* se à me notatum dicat: *Neminem* laesi. Quanquam ego dubitem sane, an recte Ulyssi postposuerim, τῷ πολυτρόπῳ, τὸν πολύτροπον τοῦτον; qui συνετώτερος Ὀδυσσέως; qui multis parasangis, & aliquot millium intervallo,

Superavit dolum Trojanum, atque Ulyssem, Pseudolus.

Age itaque tu, seu Οὖτις, seu *Nemo*, seu *Ulysses*, seu *Pseudolus*, appellari cupis, cernamus hoc inquam certamen, & videamus, de quo verius dictum sit, quod subjungis, *non rationibus & argumentis me pugnare, sed convitiis & contumeliis* (*dudum* enim *est*, *quod alter alterum novimus*, quanquam ego te *Cajum Valerium Accinctum* dici, aut Οὖτιν, aut *Neminem*, audiverim sane nunquam) de méne, qui nude ac simpliciter rem, uti gesta est, narro; an de te, qui totus perpluis *compositis mendaciis*, & *consutis dolis*. Quam putidum vero est illud, quod *Iämbos* meos *rabiosos*; me vero, *rabiosum Poetam*, appellas? ego multo te verius *rabiosam Hecubam* vocare possem: nam,

Idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis.

mul-

multoque sincerius, quam tu de me, de te ipso affirmem ego, *rabiosas* te *Epistolas* scribere. Judicet Lector, uter scribat modestius; uter, majore cum furore & *rabie*. Dicit tamen, *majore rabie opus non esse, qui primas sat rabiosulas dederim*. Quae sunt istae *primae*? quae *rabiosulae* istae? *litterae*, inquam, an *syllabae*? nulla litterarum mentio facta est: nullas omnino ad id temporis litteras scripseram. quò ergo refertur τὸ *primas*? τὸ *rabiosulas*? nescio. Vide, quam callide & scienter scribendi artem intelligat, qui alios passim carpit ac vellicat, & omnes ubique sectatur minutias, & nullius interim ipse sensûs verba effundit. Sed cur tu, o Noster, aut *Iämbum* istum meum, quem promitto; aut me ipsum etiam, *rabiosum* vocas? cur τὸ *rabies* ita male interpretaris, contra animi tui sensum, & ipsam tuam conscientiam, si ullam habes? Nunquid hoc illud ipsum vocabulum est, quo Horatius utitur, in eo ipso, quem respexi, loco?

Archilochum proprio rabies armavit Iämbo.

An *rabies* ibi aliud quiddam notat, quam justam *iram*, & *indignationem*? an *rabiosum* Flaccus putavit *Archilochum*, cujus se *numeros*, ut *animos*, secutum dicit?

— Parios ego primus Iämbos
Ostendi Latio; numeros, animosque secutus
Archilochi.

Et paullo post in eadem ad Maecenatem Epistola:

Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
Temperat Alcaeus.

Rabiosum ergo me vocare nequaquam potes, nec tuum mihi nomen accommodare; non magis, quam si quis *furiosum* dicat *Poëtam*, qui *furore* sit correptus *Poëtico*:

id eſt nobili illo & divino ſpiritu, qui Poëtas agit. Sed ab iſto convitio non eſt quod tibi metuas *Valeri*; qui nunquam iſtum in te *furorem* expertus es: neque quicquam de *furore Poëtico* percepiſti unquam, niſi quod Petiti fortaſſe librum *de Furore Poëtico* legeris.

Affirmat pag 8 *Valerius*, & ut certam rem aſſeverat, me *recta ad ejus aedes per publicum curſorem ſub ſpecie Epiſtolae* Epigramma quoddam miſiſſe. Primo, falſum hîc dicit *Valerius*; nunquam enim id à me factum: quod ſi factum fuiſſet, non video, quid diſcriminis ſit, ad alium miſerim, an ad ipſum. Deinde, quod ille feciſſe me dicit, ipſe fecit. Prima enim vice ad Davidem Hoogſtratanum, urbis hujus Scholae Publ. Prorectorem, ſuum illum Iämbum miſit; quem ſi *rabioſum* dixero, verum dixero: Deinde Elegias, & alterum Iämbum, ad Rectorem Schalbruchium: ultimum Epigramma, putidum illud & plus quam puerile, rectà ad meas aedes deferri juſſit. In quo ſi peccatum eſt, ille ipſe peccavit, qui peccaſſe me dicit. Quod per me exaggeret licet peccatum, in quantum volet, ad me enim non pertinet. Vide, quo pacto è rebus etiam ſimpliciſſimis, & è leviſſimis conjecturis, calumniandi anſam arripiat, *verſutior*, *quam rota figularis*, & *purus putus Sycophanta*, *Valerius*. Putidum eſt, καὶ μειρακιῶδες λίαν, iſtiuſmodi nugis atque quisquiliis bonas chartas commaculare. Sed quid facias homini? φλυαρεῖν δεῖ μετὰ τοῦ φλυαροῦντος.

Adjicit eadem pagina, me Leidae nuper fuiſſe, *multa minatum*, ad ſingula *reſponſurum*; *rem*, ut brevis ſim, *in ſcurrile carmen erupiſſe*: nihil me *edidiſſe*, niſi *partum muris*. Neſcio, an paria nunc ſit ſcripturus *Valerius*, & male divinavit iſte *divinus*: certe tum alia omnia cre-

debat potius, quam me, quod feci, facturum, & pro meo quicquam honore ad ſuas objectiones reſponſurum. Quod an à me praeſtitum ſit, ſecunda mea declarabit Epiſtola.

Pag. 9, *Archilochum* me appellat, *Herculem*, & *Tertium, qui è Coelo cecidit*, *Heinſium*. Non ſum, *Archilochus*; Iambos tamen conſcribo, licet non *rabioſos*, ἢ ἐφυβριστῆρας, uti *Valerius*; quam ego illi gloriam cedo totam. Non ſum *Hercules*; malos tamen *Cacos* iſtos coërceo, & *in ordinem redigo*. non ſum *Hercules*, inquam; *clavam* tamen trinodem habeo, qua iſli ego

— cere comminuam brum;

Libet enim cum Antiquo Poëta, de homine Antiquario loqui. Non magis ſum *Heinſius*, quam horum quiſquam; neque *è Coelo cecidiſſe* me memini. *Tertium* tamen me *Heinſium* nominat. *Primus* eſt itaque *Daniel Heinſius*; *Secundus*, *Nicolaus*; *Tertius*, *Petrus*. Cur enim minus ſim *Petrus Heinſius*, quam *Petrus Lombardus*? Quin & *Petrullum* me *Heinſium* nominare poſſet; nam & ille *parvulus* erat, nec mea major ſtatura, ſi non inferior. Magnum praeterea caput habebat. nec mirum, in quo tantum cerebri eſſet. ita ut reliquam corporis partem cum capite conferens, non illepide illud Martialis dixiſſe feratur Baudius:

Si ſolum videas hominis caput, Hectora credas:
Si ſtantem videas; Aſtyanacta putes.

Noli vero credere, *Valeri*, uti te, ita & illum riſui me habere ac ludibrio hominem. Joci ſunt innocui iſti: & nimis amo *Heinſium* meum, cujus & per te nomen gero, quam ut ullius Eum exponam deriſui. Amo ego, inquam, hominem iſtum, & depereo, ac pluris illum facio

cio unum, quam viginti quinque *Valerios.* Sed ex corporis ſtatura non aeſtimantur ingenia; quantus enim alias vir eſſes! quam *in tuum illum enſem aſſurgeres! Magni* cognomen induere poſſes, ſi Alexander eſſes: qui & ipſe *parvus* fuit, non *magnus:* ita mentitur ubique *Fama*, (cui in hoc cum *Valerio* convenit) & *omnia in majus extollit*,

Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.

Adeo autem exiguae fuiſſe Alexandrum ſtaturae, ut, cum in ſolio conſideret Darii, pedibus terram contingere non valuerit, Q. commemorat Curtius. *Magnus* hic tamen erat, rebus geſtis, non corpore. quare non eſt quod meam mihi objicias *parvitatem.* Ingenio menſurantur Poëtae, non ſtatura. Quod cum tu plane habeas nullum, omnium profecto, qui litteras attingunt humaniores, aut has certe Poëticas, *parvuliſſimus* es, μικρότατος ἢ λεπτεπιλεπτότατος. in muſcam aut formicam transmutaberis olim, credo. Quid mirum, cum in aſinum transformatus ſit Lucianus? Multo vero convenientius, quam tu me *Tertium Heinſium*, ego te *Tertium Catonem* appellare poſſim, & *è Coelo cecidiſſe* affirmem; te enim *de matre cadente*,

Tertius è coelo cecidit Cato.

Eadem fatetur pagina Heros noſter, *ſpreviſſe* ſe dudum tela mea, *nullo ſibi vulnere aut relicto dolore cognita.* Facile hìc illi aſſentior; & utraque fidem facit Epiſtola. Pluribus deinde agit de jure maledicendi, quod ille privilegium ne amittat, timet; utcunque *non timere* ſe dicat. Multa refert ibidem de pacifica ſua indole: nolle ſe nomen ſuum, quod fabula nondum factum eſt hactenus, *apud poſteros aut exteros collutulari:* aut ul-

lis,

lis, ut ajebat ille, *commissionibus obsolescere*. Vide, quam timidus sit Heros noster, quamvis id neget, qui, id ne fiat, timet, quod jam dudum est factum. Adeone se incognitum putat? adeone sanctum & intemeratum suum nomen existimat, qui per totum fere decennium omnibus sese exteris cognoscendum dedit; & magnam sine dubio famam ac gloriam ab omni reportaturus est posteritate? Ex animi sententia loquitur homo iste, an *suaves* nobis *ludos facit* hic *Suaviludius*? Adjungit, se nullam *ex istis litigiis gloriam quaerere*. Quid quaesierit, nescio: nunc certe sine laude & gloria ex hac arena discedere neutiquam, *cum tam ignobili hoste commissus*, potest. Dicit vero contra, *me magnam inde* gloriam, vel *gloriolam* potius, affectasse. Erras, ὦ γεννάδα; neque ego tibi *invidi*, ut dicis; neque *magnam* ex eo *gloriam* mihi promisi. Polliceri eam mihi auderem, ut tuo tibi more respondeam,

Valentiorem nactus adversarium,

Id est Oratorem aut Poëtam, unde aliqua speranda mihi esset victoria: non te, qui nihil in hisce vides, nec oculatior es, quam talpa; utcunque tibi ὀξυδερκέστατος esse videaris.

Confitetur pag. 10, *omnia, quae ex mea Oratione, & dein Carmine in Namurci expugnationem, notata sunt, à se esse profecta*. Nunquam verè magis atque ingenue locutum *Valerium* puto. Habemus *confitentem reum*; quin litem deciditis, Judices? dixi, aut ore id factum, aut scripto. Utrumque reum facit *Valerium*; nec evadet unquam; qui scripta ista, sive sua, sive alterius, eodem studio, eodem etiam animo, tuetur ac defendit, ut sua. Nihil dico amplius. Hac una confessione ab ista se culpa immunem esse non posse ipse, ut apparet, fatetur, ac palam agnoscit *Valerius*.

Quae hac porro ſequuntur Epiſtola quatuor illa reſpiciunt crimina, quae partim ex Oratione, partim ex mea in Namurcum Oda, objecit mihi *Valerius:* ad ea nihil ille me reſpondere poſſe exiſtimavit: ego vero abunde me reſpondiſſe, & omnibus, quicunque non iniqui futuri ſunt judices, feciſſe me ſatis puto. Adeo vero in minimis etiam diſcrepat à me, ac diſſentit, *Cajus* iſte *Valerius*, iſtius nominis ultimus.

Sub finem tandem Epiſtolae addit Sycophanta *tam fatuum ſibi videri* illud meum *quis putet*, (ad quod in fine ſecundae meae reſpondi Epiſtolae) *ut nullus dubitet, quin auctor Iämbi, Epigrammati meo in Battum repoſiti*, (id eſt *C. Valerius*) *Faatui vocabulum, prima ſyllaba productum*, (& ob id duplici *aa* ſcriptum, ut fiat productior, aliter enim non poterat) *quae caeteroquin uſu eſt brevis* (quaſi id ignoraremus, quia id ignorabat *Valerius*) *ter quater* (non ſemel aut bis) *repetierit*. Addit elegantem, hoc eſt ridiculam rationem, *ut ita productiſſimam meam oſtenderet fatuitatem* (*faatuitatem* dicere debuit, oblitus iſtam ſyllabam longam eſſe) alteram rationem adjungit, non minus ridiculam ac deridendam, *non ſine tractu & mora* (id eſt, trahendo iſtam ſyllabam & prolongando) *pronuntiandam, declararet*. Ignoſce, Lector, quod interpretem agam verborum horum *Valerianorum*. Obſcuriuſcula enim ſunt; & ex *interioribus* ejus *litteris*, ac *reconditis; reconditis* illis, inquam, atque *interioribus;* hauſta atque deſumpta. Quam lepide autem nos omnes ludit, & *naſo ſuſpendit adunco*, quaſi id non ignoraſſet, dum ſcriberet, brevem eſſe primam in *fatuus*, quod adhuc ignoraret, niſi id ego ejus indicaſſem Collegae, cum nuper eſſem Lugduni. At quam ingenioſo commento uſus eſt, in errore illo emendando;

cum syllabam sua brevem natura, per geminatam vocalem longam credidit fieri posse? Cum vero id plane ridiculum esse ipse agnosceret postea, neque ullo apud ullos modo fidem inventurum; aliud quiddam commentus est, non minus ingeniosum, & acutum. Nam cum carmina sua, pulchra illa & eximia, cum meis malis & insulsis, imprimi curasset *Valerius*, primam in *fatuus* non cum duplici *a*; sed, ut productior ista fieret littera, cum accentu circumflexo, *fâtuus*, excudi jussit. quo quid subtilius ab ullo unquam homine excogitari potuisset? quis ingenium non habere hunc *Cajum* dicat *Valerium*, hominem tam ingeniosum? Multum certe debet *litteris* istis *reconditis*. Cui enim id unquam in mentem venisset? aut quis in ullis unquam auctoribus huic simile aliquid observavit? At heus tu, ὦ οὗτος, si tam facile *breves longas* facis, sine dubio iisdem illis

Artibus AEaeis Carpathiive senis

et *longas* etiam *breves* facere poteris. Corripe itaque secundam, quaeso, in *gesticulator*, & *gesticulari*, quod a *gestire* ego deductum ajo,

— nisi quid dissentis, docte Trebati.

Id autem corripuit nuper nescio quis malus Poëta, cui tu rem multo gratissimam feceris, si istam paullo breviorem reddere syllabam poteris. Ita autem ille, tanquam ex Tripode:

Gesticulatores doctrinæ respuit ara;

Mox idem paullo aliter, sed eodem modo:

Et bene gesticulor, bene fracta sibilo voce.

Vis consilium *Valeri*? *accentum* pone supra Literam istam, *gravem*, vel *acutum*, prout libet, sed *gravem* potius, nam is syllabam deprimet. Et cur *gravis* minus eam bre-

vem faceret, quam *circumflexus* longam? Vis aliud quiddam? liberalis enim sum, in te praesertim, qui in me tam munificus es, ut πίονι μέτρῳ, id est, ut ait ille,

Non modio, neque trimodio, sed toto horreo,

plaustra in me *convitiorum*, & *dictorum scurrilium* jacias. Audi, *Valeri*, & noli irasci; per jocum haec facta sunt, & nemo credet. Audi, inquam; dabo consilium optimum. Litteram *i* quàm minutissimo charactere imprimi jubeas, ubi ista denuo prodibunt in lucem; ita quivis *brevem* istam agnoscet syllabam: vel iöta potius subscrito utere, ut solent Hebraei, &, post illos Graeci, γελοιότερον γὰρ τοῦτο καὶ καταγελαστότερον, & omnes non solum *brevem*, sed & *brevissimam* istam esse syllabam judicabunt.

Sub finem Epistolae, coronidis vice, addit, *se multa habere ad Orationes meas notata*; *ad illam etiam, quam ego neminem nisi perfectum simul Oratorem & perfectum Poetam, componere posse jactaveram.* quem *me esse*, inde concludit. Primùm, *Notata* ista, vel *Observata*, eum jam dudum ad manum habere, & auxiliares copias istas ad istud jambellum paratas esse, ex amico quodam intellexeram ante aliquot menses. Ita enim solet hic homo, ut secretum hoc ejus notum faciam, tanquam prudens Imperator, arma comparare, militem legere, &, diu ante bellum, se ad bellum componere. Ex omnibus enim libris, quos legit, praesertim Recentioribus, annotare ad marginem solet, non virtutes, ut alii, sed quaecunque in iis sunt, aut esse ille existimat, vitia: unde tanquam ex armamentario, sua deinde tela depromit, si cum aliquo ei hoste pugnandum est. Ita librum mearum conscribillavit Orationum; ita & Poëmatum; quae in adductis modo Epistolis laudavit tantopere. Ita Collegae sui, quem singulis

gulis nunc paginis laudat, quem mihi hostem facere studet, Jacobi Gronovii conspurcavit notis suis marginalibus libros omnes, & imprimis nuperum illum, qui *Memoria* dicitur *Cossoniana*; ut ipse & Leidae dixit & Amstelodami; in quo se ostensurum jactavit complures & enormes errores Historicos, praesertim in calculo, quam computandi rationem amicum illum suum non magis quam puerum intelligere affirmavit. Sed illorum ego hominum rationes non capio, qui φαινοπροσωπόφιλοι tantum

Altera manu lapidem ferunt, panem ostentant altera:

Quorum alter alterius libros non alium in finem legit, nisi ut carpat; quod & in *Observationibus* istis *Historicis Valerianis* ostendet aliquando (certe ostendere potest) *Gronovius*, qui copias istas omnes, ubi opus est, explicabit. Ad me vero quod attinet, & Orationes meas, non metuo magnopere istum *Valerium*, qui nec Poëticam intelligit, nec Oratoriam, & merus est tantùm *Grammaticus*; λόγους ἀναπλέκων, ἢ συλλαβίζων; γραμματοπλοκίδης, ἢ ληροδιδασκαλίδης, purus putus. Scribat ille quod volet, & plura observet istius farinae menda, quam in *Strada* aut *Casaubono*, aut ipso quoque *Scaligero*, *Gaspar* ostendit *Scioppius*, tutelare Grammatistarum numen; ego nihil rescribam, & *furere* sinam hominem *furorem istum*; qui cum Caesare, *nec priorem ferre potest*, *nec parem*; & cum *Achille* semper annititur,

—— ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Dicit in eodem praeterea loco me jactasse, orationem istam meam, aut similem illi (*de Perfecto Oratore* sc.) *non posse componere, nisi qui perfectus simul sit Orator, & perfectus Poëta.* Nunquam tale quid aut de illa, aut ulla alia mearum à me dictum est Orationum. Id dixi, & id iterum

 dico:

bonam Orationem non posse conscribere, nisi qui aut Poëta ipse, aut non alienus certe a Poëtica, & in Poëtarum lectione non perfunctorie sit versatus. *Perfectum* simul *Oratorem* esse, & *perfectum Poëtam*, hactenus nemini contigit, ne ipsi quidem M. Tullio Ciceroni. Quid huic *Marco Tullio* datum sit (ita enim vocabatur in Frisia) nescio. Ego neutrum in eum quadrare Epitheton puto. Illud autem verissime affirmare videor posse, sine impetu quodam, & nobili illo, qui requiritur, spiritu, nullam bonam orationem confici posse. Iste autem omnis *Poeticus* est, & *Poetis* debitus; è quorum lectione hauriri debet, ac comparari. Pluribus illud locis inculcant passim Tullius & Quintilianus: suo id exemplo docuit Cicero; qui omnes Poëtas legit; plures e Graeco convertit, & non mala ipse Poemata scripsit, utcunque suo illa sale adspergat Satyricus. Meliores is versus fecit, quam iste Orationes facere potuisset Declamator. Laurea Oratoria Poeticam illius gloriam obscuravit; & praeclari illi, qui ipsum mox exceperunt, Principes poëtarum, ut illius saeculi, ita & omnium, *Naso*, *Flaccus*, *Virgilius*, hanc ei palmam praeripuerunt. Verum tamen est, & manebit in omne aevum; *bonum* fuisse *Poëtam M. Tullium; bonos Oratores* fuisse eos ipsos, quos dixi, *Poetarum Principes Latinorum*. Alterum patet ex nobilibus illis, quae apud illos leguntur, Orationibus: alterum è figuratis illis & Poeticis, quibus utitur *Tullius*, loquendi modis. legantur ejus *Epilogi*, & praeclarae illae *Perorationes*, ubi regnat τὸ πάθος; ubi regnabat ipse; & *Poëtam* esse patebit *M. Tull. Ciceronem.* Quid quod ipse aliquamdiu *declamavit Ovidius* (Orationes enim haberi desierant, & unà cum Cicerone, unà cum Republica expirave-

raverant) teſte Seneca Rhetore, apud quem & nonnulla *Declamationum* iſtarum *Fragmenta* reperiuntur. Arctiſſimi igitur fines ſunt, & conjunctiſſimi *Oratorum* & *Poëtarum* videndum tantummodo, & curandum, ut intra ſuos quiſque limites maneat, ne aut nimium humi repat, aut nimis in altum ſubvolet, & *Poëtica* ſit magis Oratio, quam *Oratoria:* quae ἔνερθε τῆς ποιητικῆς μεγαληγορίας. Verum itaque dixi, cum illud dixi, neminem, ſi iſta à ſe invicem ſeparet; & artis utriuſque terminos non tranſcendat; magis idoneum ad Oratoriam eſſe, quam *Poëtam*; & tanto magis idoneum etiam, quo major ſit idem *Poeta*. *Tu itaque iſte es*, exclamat *Valerius*. Qui fieri id poſſet, *bone Valeri*, quum nec *Orator* ſim ego, nec *Poëta*; cum *non niſi mediocre carmen, & miſeram ſubinde Orationem componam?* Ego vero de *Perfecto Poëta* non magis, quàm de *Oratore*, locutus ſum: nec *perfectum* me aut *Oratorem*, aut *Poëtam* agnoſco. *Poëtam* tamen, ne erres *Valeri*, & quidem te meliorem, hoc eſt non *mediocrem*; *Oratorem* item, haud paullo te difertiorem, id eſt non *miſerum*, & commiſeratione omnium dignum; & eſſe, & dici poſſe, citra ullam me invidiam autumo. *Perfectus* autem ille *Orator*, quem mea illic Oratione deſcripſi, *Marcus* eſt *Tullius Cicero* (ne te eſſe exiſtimes, *Valeri*) cujus ego vitam ac rationem ſtudiorum omnium, & quicquid in eo virtutis Oratoriae fuit, in viva quaſi tabella delineavi. Quae uti nunc *Valerio* diſplicet, ita tum auditoribus, ac deinde lectoribus, placuit univerſis. Recordor etiamnum, quid de ea ipſa *Petrus* judicarit *Duboſcius*, optimus rerum iſtiuſmodi judex, & intelligentiſſimus, qui *inſigne ſpecimen Oratoriæ artis* iſtam meam appellare orationem non dubitavit.

Idem

Idem erat judicium *Ludovici Wolzogii*, Collegae mei, qui, postquam eam audiverat praesens, deinde in via mihi occurrens (nam rarius alter ad alterum invisebat tum temporis, quo fortius illud ipsum, ac valentius esse testimonium debet) gratias pro isto mihi munere egit amplissimas, jamque bis illam legisse Orationem, nec ejus adhuc satiari lectione se potuisse, ac denuo legere velle, confitebatur.

Ad secundam *Valerii* epistolam nihil respondeo: tum, quia nihil me responsurum promisi: tum, quia tot in se sophismata continet, & aperta mendacia, ut cum homine plane sycophanta mihi rem esse videam; neque ullum hujus litigii finem futurum animadvertam. Libet è multis pauca quaedam adferre, è quibus de caeteris conjectura fieri possit.

Dicit me rabiosam scripsisse epistolam: cum talem ipse scripserit, vel tales potius. Legat & perpendat Lector. verbum non addo.

Male interpretatur meum pacis & quietis studium, idque pigritiae adscribit & segnitiae: quasi tum demum diligens essem, si, ut ille, telum in omnes stringerem.

Culpat, primum quod inimicos habuerim; tum, quod iis nihil responderim. Ego utroque nomine me laudandum puto. nam hostes non habent nisi boni, & in aliqua re excellentes viri: hostes vero contemnere tum generosi animi, tum pacificae indolis est. Adeo autem omnes contempsi, ut ne nunc quidem aliquos, quinam illi fuerint, sciam. nam auctor iste Epistolae Mercurialis, qua meum in Ruterum Poëma carpit, quis sit, ignoro cum ignarissimis, id est omnibus, ut existimo, hujusce civibus civitatis. quam in rem inquirere nunquam operae pre-

pretium duxi; tam puerile id erat, ineptum, & infice-tum. Cum Wolzogio frigus magis fuit & simultas, quam inimicitia; neque ulla nos inter privata lis fuit, nedum publica. Peralto nihil volui respondere, quoniam in ea erat sententia, quae plane ab omnibus, qui ullum habent sensum antiquitatis, & ab ipsis etiam Gallis, exploditur ac deridetur. Cum hoc ipso eandem viam institissem, nisi bonae id caussae fraudi fuisset, & malam ille de Eloquentia opinionem omnibus instillasset. Judicet Lector, pacemne, an bellum, quaesierim.

Ridiculum est, quod ait, se inter eos, qui bonis student placere, minime multos laedere, nomen suum semper esse professum: cum contrarium pateat ex toto vitae actu, & ex proxime subsequentibus verbis, ubi istiusmodi rixas utiles esse contendit, & incrementa inde Academias capere non poenitenda. Vides pacificum hominis animum. verum autem esse quod dicit, testis est Academia Franequerana, quae nunquam magis floruit, quam dum ille bellum cum Collega litterarium gessit.

De conditione Amstelodamensi multa verba facit, quam ego rem attigi tantum, & in qua me acquiescere dixeram, postquam se mihi excusasset. Vides ingenium hominis: nunquam quiescit, sive ei contradicas, sive assentiaris. Impudentiam vero omnem superat, quod nunquam tale nos inter colloquium fuisse affirmare audet. potuit aliqua esse differentia in tempore, prius enim id factum est, ubi rem in memoriam revoco (quanquam quid hoc ad rem?) sed factum esse, & eo in loco, quo dixi, (quamvis nec hoc ad rem faciat) habitum fuisse sermonem istum, tam verum est, quam me, dum haec scribo, vivere. Quare aut Sophistam hic agit *Valerius*, aut

aperte mentitur, immo plus quam mentitur, dum tam ſanctis & conceptis verbis aſſeverare contrarium ſtudet.

Nugatorium plane eſt, quod dicit, ſe aliquando ad me audiendum veniſſe, meque ſolum obambulaſſe. Cui enim id non evenit aliquando, etiam in celeberrimis Academiis, ut non ab auditoribus ſuis deſeratur quandoque? Venerat autem ad me audiendum, hoc eſt ad vocis moderamen, & geſtuum, contemplandum; quaſi iſta locum haberent in Lectionibus. Aliud eſt Lectio, aliud Oratio. Utriuſque magnum diſcrimen. Altera docet; altera movet. Sed haec ignorat Heros noſter.

Negat ſe male interpretatum, quod plura exemplaria dediſſem Coetierio, quam ſibi. Id autem plus ſemel mihi dixit, atque affirmavit Broukhuſius, cui ego uni plus credo quam mille *Valeriis*.

Non minus malignum eſt, & praeter verum, quod ait, omnia me ingenia extinguere; neminem Poetam putare, niſi Broukhuſium; idque, ne omnes contemnerem ſcilicet. Primo, nemo me magis alit ac fovet ingenia Juvenum: nam continue eos adhortor, aliquam materiam ſuggero, ipſe iis praeeo, quod ex impreſſis Orationibus & Carminibus videre quilibet poteſt: & huic ipſi, quem mihi objicit, Jenſio ſaluberrimum conſilium dedi, ſi in ſtudio ſeſe Poëtico exercere vellet: quod in eam tum partem accipere videbatur, ut magnas mihi gratias ageret, & ſponte ſua, (non a me rogatus, aut invitatus, ut falſo affirmat *Valerius*) ſe Amſtelodamum venturum diceret, per aliquot menſes, ut in Oratoria & Poëtica nonnulla meo ductu faceret experimenta. Quod cum è re Profeſſorum Leidenſium non videretur, evanuit prorſus quicquid iſtud negotii futurum fuit. Ad Jani vero Broukhuſii quod attinet Carmina, ea tanti facio, quanti quiſquam;

quam; idque a multis annis, & ab eo, si nescis, tempore, quo primum ab eo carmen ab amico quodam commonstratum meis videre oculis licuit. Amo ejus versus, non quia illius, sed quia optimi sunt, ac suo sese pretio aestimandos praebent. Si alius tales faceret, si quisquam Professor, si tu ipse, *Valeri*, laudarem eos & aestimarem: neque quicquam hîc gratiae a me datum aut amicitiae.

Ejusdem plane generis est, quod invidiae me insimulat, & livoris, in culpandis Jensii versibus. Magnus est Heros Jensius, cui invideret scilicet Francius! sed quidvis effutire audet intemperantissimi & oris & animi homo.

Pessimae fidei est, quod me Politianum accusasse ait, quasi qui in Syllabarum saepe modis erraverit: cum ego simpliciter istum Heinsii locum citem. Dicit *Heinsius*, non *Heinsiaster* (quo me insimulat nomine, ridiculum prorsus in modum, *Grammaticaster*) in metro peccasse virum istum; nonnulla item habere parum Graeca. Non tantum mihi assumo, ut de iis pronuntiare aliquid audeam, & pluris facio unam Politiani epistolam, quam centum *Valerianas*, quibus nihil usquam putidius, ut ex iis ipsis, quas adduxi, litteris patet. Addit, Pascasium Grosippum (id est Gasparem Scioppium, agminis hujus Grammatici antesignanum) Graecos Politiani versus laudasse. Futilem profert auctorem, & qui de Graecis versibus judicare minime poterat, istius quippe linguae ignarus plane ac rudis. Fide praeterea sua agit *Valerius*, id est sublesta, quando Scaligerum, cum nullo aetatis suae comparandum esse Politianum, affirmasse dicit: quasi haec quicquam facerent ad versus Graecos, aut ad linguae Graecae cognitionem, cujus in isto Scaligeri loco nulla prorsus fit mentio.

Multis deinde excusat *praestantissimum Jensium* suum, quod Politiani & aliorum exemplo, peccarit in leges metricas: quasi aliorum vitia nostros corrigere errores possent: aut nobis saepius facere liceret, quod illi fortasse fecerunt semel. Optimi sunt imitandi, & ex iis optima: neque, si rarius quoddam occurrit vocabulum, & minus usu receptum, aut magnis illis magistris concessa quaedam licentia, id nobis in exemplum arripere integrum est. Excusat se insuper Censor, quod otium non habuerit, ad carmen illud Graecanicum perpendendum, multis ac variis districtus negotiis. Tam aperta in eo sunt vitia, ut in oculos omnium statim incurrant: tantum temporis exinde elapsum est, ut id videre debuerit Heros iste, si prima vice non viderat: praesertim, postquam jam admonitus esset à viro docto; quem ille totum praeterit ac dissimulat locum. Idem tamen integrum me biennium impendisse affirmat carmini isti examinando, qui vix dimidium horae illi impendi, qui, simulac in meas manus veniret, auctoritates bonorum auctorum margini allevi, quod & amicis meis tum ostendi compluribus. Ita ubique sophistam agit & Sycophantam *Valerius*.

Fatetur porro aperte idem, se non ita in promptu habere & numerato legem metricam; & Prosodiis, ac puerilibus istiusmodi adminiculis, uti solere; quod ego plane puerile existimo. Nemo est, qui non libros istos adhibuerit aliquando, ubi minus notum se offert vocabulum; sed sine iis carmen, seu Graecum, seu Latinum, non posse conscribere, id puerorum esse ajo, non virorum. Melius famae suae consulerent homines isti, si nullos versus componerent.

Fidem vero superat omnem, quod non ex litteris potius,

tius, quas eam in rem ad Broukhusium scripsisse se dicit, quam è sermone & colloquio, judicare de sese, ac studio suo Poëtico, me voluisse affirmat. Talem autem Epistolam an unquam scripserit, nescio, & rem totam ab eo confictam puto, quoniam aliter se evadere non posse animadvertebat, nisi aperti mendacii insimularet amicum meum. Is autem istiusmodi se epistolam nunquam accepisse, nunquam vidisse, sanctissimis omnino verbis affirmat, & litterato per me orbi manifestum facit. Animadverte, Lector, consuetas *Valerio* artes.

Non magis fideliter narrat colloquium, quod cum ejus mihi intercessit Collega, quasi qui illo auctore dixissem, ipsum in Poëtarum lectione non esse versatum; omittendo sc. illud, quod adjeceram, & *in legibus metricis*, item illud, quod sequitur, *non ita.* adeo ubique dolos nectere, verba intorquere, mala fide agere, moris huic homini & consuetudinis est.

Dicit porro se Graeca carmina condere nolle (quasi id posset, si vellet) paucis intellecta, & *interiores* se *litteras* excolere malle. quasi minore ob hoc habenda in pretio essent, quod a paucis intelligerentur: aut haec ipsa studia *interiores litterae* dici & haberi non deberent; quae tales ob id ipsum sunt, qnoniam a paucis intelliguntur. *Interiores autem litteras* me ignorare affirmat, Grammaticales scilicet nugas istas, in quibus sese minutiis Orator nemo aut Poëta occupavit bonus.

Falsum non minus est, quod subjingit ex Martiali, *Graecis nihil negatum.* quod per ironiam ab illo dictum hic serio dictum putat, quasi quidvis Graecis liceret, & nobis etiam turpissimos eorum naevos aemulari licitum esset.

Ait deinde, me saepe in syllabarum quantitatibus peccasse. quod ubi ostenderit, vir erit. Potest aliquid excidere alicui aliquando; & cui non excidit? Sed, quod hîc gloriatur Censor, se in totidem versibus plura ostensurum vitia, quàm ego in Jensiano ostendi, haud facile persuasurus est cuiquam. Mera est ars ista Thrasonica: ostenderent enim, si ostendere possent: nec mihi, ut opinor, parcerent, qui parcunt nemini.

Mala fide, ut solet, verba mea citat in sequentibus, cum dicit, *me fucum nullum aut lenocinium in ea (extollenda) adhibiturum*: omittens praecipua illa, in quibus cardo rei, *quae omnem falsum ornatum respuit atque contempsit*. In eo ipsum culpavi, quod aut simpliciter dicat, se nullo lenocinio usurum, aut malos illos Oratores respiciendo, quos hîc ante oculos habet. dixi vero, ad Reginam id referri totum debere, meque ita fecisse, quam ob rem *in plane simili causa* (quae omittit verba) meam orationem citaveram, quod moris alioquin non est, & recte culpasset *Valerius*. Verba praeterea illa, quae ex Mureto adducit, pro me faciunt, non pro ipso, quae est astutia hominis. dicit enim Muretus, *se eo genere orationis usurum, quo ipsum* (Pium v. scil.) *praecipue oblectari solitum noverat*, quodnam id sit, explicat, *non pigmentis ac fucis oblito, sed severo ac solido*. Vides illum respicere personam de qua loquitur, *Valeri*? quomodo si tu dixisses, ego nihil quod reprehenderem habuissem.

Locum deinde Orationis suae, ubi eum, vel de se vel de alio locutum dixi, quod utrumque absurdum ostendi, ita explicat, ut per dolos & fallacias, ac solita sua sophismata evadat, aut evadere hoc modo se posse existimet.

met. Examinet locum cui tantum ſuppetit otii, & mirabitur.

Ridet me porro, quaſi me ſolum Oratorem putem, & ad Graevium provocat, ac Gronovium? Ad utrumque ego itidem in hac cauſſa provocare audeo; quorum alter credere ſe, neminem videre tantum in eloquentia, Exteriore praeſertim, quantum me, me praeſente dixit: alter generalibus verbis me *deum in hac arte* nominat, ut ex illius ad me litteris poſſem oſtendere.

Sententiam deinde ſuam promit de meis orationibus, quas humi repere ait, & nunquam aſſurgere. Provoco ad Lectores, & plus vigoris eſſe contendo, ac ſpiritus, in una mea, etiam minima, quam in omnibus, etiam longiſſimis, *Valerianis.* Ecquid pudet hominem iſtum tam abſona loqui, & tam parum apud omnes fidei inventura?

Geſticulatoriam porro, ut vocat, artem deriſui habet, & mihi ſoli cognitam affirmat ſcilicet. Quid ſi id verum eſſe dicam, *Valeri*, quo pacto tu probabis, non verum eſſe, qui rei iſtius nullam habes intelligentiam?

Ait, me peſtem ſtudiorum eſſe, quod nihil, niſi haec doceam. Mendacium dicit *Valerius*, cum hoc dicit: bonos enim auctores auditoribus meis praelego, explico, & ad eorum eos imitationem conformo. Ait item, ſe non adſpernari decoram actionem, quoniam tam multos ea illectos videt & irretitos, quo nomine taxat, & ſtultos plane eſſe exiſtimat, eos, qui me audiverunt hactenus, omnes. Affirmare deinde non dubitat, hanc artem, quam primam ſemper Veteres judicarunt, omnium in dicendo poſtremam eſſe, contra omnem Veterum auctoritatem: ordine ſcil. non dignitate. argutiam hominis!

male

Male ibidem verba mea, de Eloquentia corporis interpretatur, quaſi ob id minus aeſtimanda, quod corpore fit: aut corporis dotes non aeque a Deo eſſent, quam animi. Ego contra argumentor; Si tam rarae ſint corporis dotes, quanto rariores animi ſunt virtutes: aut, ut planius tecum agam, mi *Valeri*, & Ciceronis potius verbis utar, quam meis; *Ergo ille corporis motu tantum amorem ſibi conciliarat a nobis omnibus; nos animorum incredibiles motus, celeritatemque ingeniorum negligemus?* Patet ex iis, quae dicit, quantopere hanc artem intelligat bonus *Valerius.*

Dum in ea verſatur materia, unde ſe extricare non poteſt, affirmare non dubitat Heros noſter, Veteres, ut per Librarios & Amanuenſes ſua curaſſe deſcribi, ita & per Praecones apud populum; per Lectorem in auditoriis; per Quaeſtorem in Senatu, ſua recitaſſe: quod uti verum, ita ab hac re plane eſt alienum. Quid enim iſti Praecones, Lectores, Quaeſtores, commune habent cum antiquis Oratoribus illis? an & illi ſua per alios recitari jubebant? id autem erat probandum. Vides, fucum facere Lectori *Valerium*, tempora confundere, (diu enim poſt antiquos haec Oratores invaluerunt) & plane aliud agere, quam quod debebat? Lepida deinde comparatione utitur, de puella & proco, ut ſuo more facetus eſſe videatur inficetus noſter. quaſi vero nulla puella & animi ſimul dotibus ornata eſſe poſſet, & corporis.

Omnem fidem autem excedit, & impudentiam, quod totam hanc corporis eloquentiam, quam tanti fecerunt Veteres, confidentiae cuidam & arrogantiae tribuat confidentiſſimus & arrogantiſſimus, id eſt, optimus Orator,

ac

ac disertissimus, *Cajus* hic noster *Valerius*. Miseret me hominis, pudet, ac poenitet, tanta cum inscitia & tanta nihilominus cum confidentia loqui eum, qui nullam hujus Eloquentiae partem intelligit; qui impudentiae & memoriae rem istam omnem putat; qui idem se facere posse, si velit, existimat; in cujus ego una Oratione, etiamsi eam memoriae mandet, & commode, hoc est suo more, pronuntiet, nisi centum ostenderim vitia, putida & manifesta, in *Valerium* ipse convertar, id est in asinum manifestarium. Sed ignoscendum est homini; neque enim intelligit eorum quicquam, quae dicit; nec hujus ipsius rei, vel in somniis, imaginem concepit ullam. Addit deinde rationem plane se dignam, id est ridiculam & ineptam, nullos se unquam Oratores vidisse, qui memoria dicerent: tanquam si id facere non liceret, quoniam nostri homines id non facerent. At faciebant antiqui; & facere debent Recentiores: At fecerunt etiam plurimi, & inter alios Collega hujus ipsius & amicus, Notius, cui difficulter, ut puto, contrarium persuadebit.

Nominat porro homines, tum vivos, tum mortuos, quorum id exemplo probatum cupit. De mortuis nihil dicam, quoniam nihil dicere possum: audivi tamen ex Abrahamo Heidano, magna cum vehementia dixisse Heinsium, & ab hac quoque parte eum laudatum fuisse. De vivis, quos adducit, id dicam, viros istos uti agnosco esse doctissimos, ita in Oratorum numero habitos, aut ab hac corporis Eloquentia commendatos esse, nunquam me fando audivisse. Provoco ad eos ipsos, quos iste hic citat, neque quicquam dicam praeterea.

Calumniatur idem, me nulli rei, nisi Actioni intendere, nunquam stylum commendare, &c. falsum hoc to-

tum esse & mea & discipulorum meorum probant monumenta. Non magis verum est, me unicam ad Eloquentiam viam affirmare hanc ipsam Actionem, aut Pronuntiationem. Dixi plus uno in loco, & iterum dico, hac via, & hac via sola, (nullam enim aliam noverant, incedebant) Veteres ad Eloquentiam ivisse, per Declamationes, (bono sensu) & exercitia ista Oratoria publica: quae cum ipsi facerent non poterant non & alteram eloquentiae partem excolere.

Mala porro fide, ut solet, istum Ciceronis è tertio de Oratore adducit locum, cap. 35, ubi, docto Oratori palmam tribuere Ciceronem affirmat. Dicit ibi Cicero sapientiam cum eloquentia esse conjungendam; ita institutos esse praeclaros in Republ. viros, *unam* eorum omnium fuisse *doctrinam*: *quam qui accepissent, si iidem ingenio ad pronuntiandum valuissent, & se ad dicendum quoque, non repugnante natura, dedissent, eloquentia praestitisse. Fons* itaque & *principium* omnis eloquentiae est, ut recte Horatius, *sapere*. Ei si accedat *eloquentia*, praestantes oriuntur in Rep. viri. Ad eam autem *ingenium* requirit Cicero, & *naturam, non repugnantem*. Idem ergo dicit Tullius, quod dixeram ego. Me autem culpat; Tullium male citat.

Non meliore fide alterum illum Ciceronis eodem è libro locum producit, ubi tanquam rem certam asseverat, *Genus hoc totum* (Actionem sc.) *Oratores, qui sunt veritatis ipsius Actores, reliquisse, Imitatores autem veritatis Histriones occupavisse.* Quis ex verbis istis non crederet, omnem Actionem Oratores deseruisse, Actoribus concessisse? Atqui plane contrarium dicit Cicero. Actionem propriam esse rem Oratorum, qui actores sunt Veri-

Veritatis, id est qui res veras, non fictas repraesentant, ut Histriones; & apud quos tanto plus fidei invenit Actio, quoniam verum plus movet, quam falsum; Quamobrem judicat Tullius, Actioni imprimis attendere Oratores debere, & ab Histrionibus, qui non Actores sunt veritatis, sed Imitatores, res suas repetere oportere. Locus autem iste non est dicto loco, ut ait Valerius, id est capite isto 35, quod modo citavit, sed capite 56, quod consulto fecit homo astutus, ut quaerendo & investigando fatigaret lectorem, neque fraus ista fieret manifesta. Verba sunt Crassi (ut & agnoscit *Valerius*) cujus ore loquitur, & suam ipse sententiam declarare consuevit Tullius, ad finem dicti capitis, hunc inquam in modum: *Haec eo dico pluribus, quod genus hoc totum Oratores, qui sunt veritatis ipsius actores, reliquerunt; imitatores autem veritatis Histriones occupaverunt.* Dolet Crassus, & cum eo Cicero, Oratores istam eloquentiae partem reliquisse, Histriones occupasse: & rem istam repeti jubet. Declarat suam ipse sententiam in verbis subsequentibus Tullius: *Ac sine dubio in omni te vincit imitationem veritas*, & quae isto loco plura in hanc rem dicuntur longe praestantissima, & hanc nostram sententiam confirmantia. Ut autem uno verbo rem omnem expediam, consideret lector, quid sub principium istius ipsius capitis 56 dicat, & quantum *Actioni* tribuat, Tullius. Ita autem ille: *Haec omnia perinde sunt, ut aguntur. Actio in dicendo una dominatur: sine hac summus Orator esse in numero nullo potest; mediocris hac instructus summos saepe superare.* Et quasi haec non sufficerent, auctoritate Demosthenis suam confirmat sententiam: *Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, cum rogaretur, quid in dicen-*

do esset primum, huic secundas, huic tertias. Ex hoc uno loco luce meridiana clarius est, quanta sit inscitia hominis hujus, quanta impudentia, quam mala & sublesta fides: manifestum itidem est, quae Veterum fuerit de Actione sententia; *eam unam in dicendo dominari*; huic *primas, secundas, tertias* a Cicerone & Demosthene *attributas.*

Id autem ut eludat totum veterator, ait, aliam Veterum rationem fuisse, aliam nostram. Verum id est: sed verum itidem illud, Latina illos ad populum lingua locutos, aut Graeca: qui ut sua lingua populares suos movebant, ita nos nostra. Concedit itaque aliquem usum in communi sermone habere Eloquentiam, etiam Exteriorem. Unde autem eam haurient juvenes? a caussarum Patronis? a Concionatoribus Ecclesiasticis? a Professoribus? a quibus? illis, qui Eloquentiam docent? ita oportebat, credo. Sed illi rem istam ignorant, & ignorare id eos aeternum jubet *Valerius.* Illi doctis loquuntur, inquit; quod aeque falsum. Studiosis enim loquuntur, & in rem eorum aliquid proponunt ac persuadent: cui sermoni etsi doctiores intersint aliquando, ad Studiosos tamen praecipue dirigitur sermo; qui si docti essent, eo aut me Doctore non indigerent.

Non magis est verum, quod ad indoctos loqui ait *Concionales* nostros *Oratores*, ut cum *Valerio* loquar: quasi & docti non interessent: aut omnes Magistratus, Professores, Doctores, rudes omnino & indocti essent. Valde extollit ordinem istum *Valerius*, dum tam doctos ei tribuit auditores. Et haec fortasse est ratio, cur sacris istis Concionibus tam raro intersint docti. Sed ad rem. Si sermo

mo Oratorius ſermo eſt popularis, ut paſſim inculcat Cicero: & ſi in eo populari ſermone locum habuit perſuaſio; in noſtrorum Oratorum ſermone, qui ad populum verba faciunt, nullum eadem habitura eſt locum? aut pluris erunt res terrenae, quam Coeleſtes? ſalus Reipublicae, quam ſua cuique privata?

Vide autem, Lector, quantopere haec intelligat omnia Heros iſte, & quam praeclare non minus ſentiat de Ordine Profeſſorio noſtro, quam modo de Eccleſiaſtico ſenſerat, cum in ſequentibus deinde affirmat, de vulgaribus rebus nos loqui; non magnopere noſtris nos orationibus affici (credo hoc verum eſſe) neque noſtra multum intereſſe, ut alios moveamus. Profecto parum ſanae mentis hunc hominem putes, tam abſona, & plane inepta effutire non erubeſcentem. Quid? ubi Hiſtorias, linguas, Oratoriam, Poëticam, Criticen, aut aliam aliquam litterarum partem, auditoribus ſuis commendat Profeſſor, non curabit, an perſuaſurus ſit iſta quae dicit, nec ne? minore labore ſilere poſſet: & minore ſane famae diſpendio ſiluiſſet haec ipſe *Valerius*, quae riſu omnium & exploſione digniſſima ſunt.

Quod ad obſervationes porro Grammaticas attinet, in quibus gloriatur tantopere Heros noſter, eas nos

Omnes unius aeſtimamus aſſis.

Magnam autem earum partem ipſe correxeram; aliquam ſponte poſueram, ridiculi cauſa; nullam ignoraveram; quod ex hac ipſa, in qua id carpit, epiſtola, & ſcriptis meis aliis, poſſem oſtendere, ſi tanti putarem. Sed ego ad finem feſtino, & regnare in hac arte *Valerium* jubeo, ultra illam enim non ſapit. Quare profiteatur per me artem Grammaticam Heros iſte, non ſolum Leidae, ſed & Del-

phis; ubi, tanquam e Tripode, oracula fundat Grammaticalia Paedagogicus doctor, &, ut vero ipsum appellem nomine, purus putus Crammaticaster; ego hanc ei laudem non invidebo, & istam lubentissime gloriam cesserim universam. Amo & aestimo bonos Grammaticos, & vere doctos, quales Varro, Vossius, alii: *Scioppios* vero ac *Valerios*, & istiusmodi sordes ac quisquilias hominum, flocci non facio.

Finirem, vel abrumperem potius, nisi mihi una res moram faceret, è qua integra & sincera hominis fides liquido apparebit. Nam cum malae eum fidei accusassem, quod sex ultimos primi illius Iämbi versus, ubi *Diabolum* vocat Collegam suum, detruncasset; nihil ad haec respondet Heros, & hoc totum silentio transilit; unde re ipsa patet, vel suo ipsum judicio malae fidei hominem esse. Metuit videlicet *Diabolum* istum, & ab eo sibi cavere, qua valet, studet.

Patet ex iis, quae dixi, quid de hoc *Cajo Valerio* sit sentiendum; qui, praeterquam quod continuis me proscindat convitiis, & maledictis, perpetuos mihi adversarios concitat; & nunc Fred. Spanhemium; nunc Joh. Georg. Graevium; nunc Jac. Gronovium; nunc vero alios; immo omnes, si posset, Studiosos, Professores, ac Curatores; hostes mihi quaerit & inimicos: nunc Veteres rursum amicos, & longo amicitiae usu cognitos avertere a me nititur atque distrahere. Patet, inquam, invidum esse hominem ac malignum, Sophistam, Sycophantam, mendacem; aliorum verba mala fide citantem, ac detorquentem; *Cajum* istum *Valerium*, cognomento *Accinctum*. qui tantopere illi placuit titulus, ut ne nunc quidem, postquam suo eum jam nomine

ne

ne bis appellarim, & è latebris vulpem protraxerim, voluerit illud ipſum deponere. Adeo pacem amat Heros iſte, & nomina iſta pacifica.

Sed finis ſit aliquando hujus Epiſtolæ, terminos ſuos jam ſupergreſſæ, & valeat tandem bona fide *Cajus* iſte *Valerius*. Oſtendi enim, ni fallor, tribus hiſce, quas me ſcripturum promiſeram, litteris, me reſpondere poſſe; quod ille me non poſſe crediderat: nunc oſtendam, ſilere me poſſe; quod ille non poteſt: nec verbum illi repoſiturus ſum amplius. Valeat itaque in perpetuum; &, ſi velit, taceat; ſi nolit, ſcribat; & vel decem, quod facturum ſe pollicetur, mihi epiſtolas mittat; ego ad nullam ipſi reſpondebo. Valeas denique & tu quoque, amice Lector, ſed alio ſenſu, & hujus, quaeſo, Epiſtolae prolixitati ignoſce. Nimis in longum excrevit. non credideram: non putaram. Sed habeo huic malo ſolatium. Nullis te amplius litteris fatigabo.

FINIS.



Cor-

Corrigenda.

Pag. 12 princ. Leg. *Ephemeridas.*
pag. 14 princ. Leg. *displicuisse.*
Med. Leg. *Orationibus tuis.*
pag. 26 Fin. Leg. *μακάροις.*
pag. 29 Fin. Leg. *dolebunt.*
pag. 44 Med. Leg. *subscripto.*